R. P.

MAXIMILIANI

SANDÆI

Æ Societate Iesu Doctoris Theologi

AVIARIVM MA-
RIANVM,

Sive

ORATIONES

AD SODA

STIVIT

para

Desumpti

Nunc permissu Sup

Majestat



SODALIBVS MOGVNTINIS ET HERBIPOLENSIBVS,

Lectiſſimis meis

AVDITORIBVS.

IN Societate Ieſu, qui degimus, promouere conamur, quilibet pro virili cultum VIRGINIS DEIPARÆ. Quam & Matrem optimam agnoſcimus; & munificentiſsimam Patronam experimur. Ea-propter vbicumque Societati d[illegible]miciliu[illegible], Sodalitas Mariana inſtituit[illegible]t, clientulorum DEIPARÆ contu[illegible]nium, & pietatis exquiſitioris Palæſt[illegible] quæ ſint virtutis exercitationes[illegible] latet, & vulgo notum eſt. V[illegible]dem, ſeu Patrem Congregat[illegible]: Exhortan-

tandi prouincia. Habet enim ad cætum vniuersum, tum alias sermones familiariter: tum, in solennioribus DOMINÆ festiuitatibus paulo elaboratiores. Qui laudationem fere continent, PATRONÆ mysterio, quod eo die recolit Ecclesia accommodatam, iunctam parænesi, morum institutioni idoneæ.

Nihil autem difficilius est, quam ijs diebus de DEI-PARA dicere: quod omnes tunc noui aliquid expectent. Is auditorum est genius. At noui quidpiam adferre de communi omnium DOMINA, post tot laudatores, cum veteres, tum recentes, tam est facile, quam è cisterna omnium haustris euacuata Lympham petere abundanté. Quocirca istud co[illegible]andum, vt, si non noua sit materia, sit noua pe[illegible]ctandi ratio, nouum Lemma, nou[illegible]ius argumenti dispositio, n[illegible]a e[illegible]ata. Et, quod proprie, ac sim[illegible]ctũ respueretur, ceu repetita cra[illegible]bolo inuolutum expetatur au[illegible]ox ficus.

Id, a[illegible]m, ignoro equidem

dem ijs *Commentationibus* (ORATIONES vocat Typographus) quibus DIVAM, Auium imaginibus congruenter, vt rebar, singulis mysterijs, exhibui, Vobis spectatoribus. Certe animus fuit, simulque ingenijs amœnioribus ansam dare, vt quas collegerunt, velut studiosæ apiculæ, ex Philologiæ flosculis diuitias, huc conferant, fructumque sciant maximum, CVLTVM MARIÆ, quem Vobis enixe commendo. Et, anni recens inchoati felix auspicium, feliciorem decursum, felicissimum denique, non huius tantum, sed & multorum aliorum finem, qui æternæ felicitatis sit exordium, etiam atque etiam precor: VALETE.

Vestri amantiss.

Quem audistis

M. S.

INDEX

INDEX

ORATIONVM ET SYMBOLORVM.

VI. PA-

VI. PAVO MARIA-PVRIFICANS.

Impleti sunt dies purgationis MARIÆ, *secundum legem Moysi. Lucæ* 11.22.

VII. PAVO MARIA-ANNVNCIATA.

Vulnerasti cor meum Soror mea Sponsa. Cantic. 4.9.

VIII. OLEA MARIA-ANNVNCIATA.

Sicut Oliua fructifera in domo Dei. Psa. 51. 10.

APPROBATIO.

ORATIONES ſacras, habitas ad Sodales B. VIRGINIS, materia deſumpta ex Auibus, ſeu AVIARIVM MARIANVM à P. Maximiliano Sandæo Societatis IESV Theologo conſcriptum, atque à deputatis ad id Theologis lectum, & approbatum, Ego Ioannes Copperus Societatis IESV in Prouincia Rhenana ſuperiore Præpoſitus Prouincialis, conceſſa mihi poteſtate ab Adm. R. P. N. Mutio Vittelleſco Generali Præpoſito, typis mandari permitto. Herbipoli 13. Aprilis, Ann. M. DC. XXVII.

Ioannes Copperus.

LOCA

LOCA SACRÆ SCRIPTVRÆ.

Ex libro Geneſis.

Ex libro Leuitici,

Ex libris Regum.

Ex libro Iob.

Ex libro Pſalmorum.

Ex lib. Prouerbiorum,

Ex Ec-

Ex Ecclesiaste.

Ex Cantico Canticorum.

Ex lib. Sapientiæ.

Ex Ecclesiastico.

Eccles.

Ex Epist. ad Corinth.

Ex Epist. ad Timoth.

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM.

Co-

Cygnus.

Hor-

M.

Nar.

pauo

Redem-

AV-

AVCTORES.

A.

Achilles Tatius.
Ado.
Aelianus.
Aemilius.
Alanus.
Albertus M.
Almainus.
Alex. de Alex.
Almonacirius.
Aloysius Lipom.
S. Ambrosius.
Andreas Cretēsis.
Andreas Vega.
S. Anastasius.
S. Anselmus.
S. Antonius.
S. Antoninus Patauinus.
S. Anton. à Treio.
Apollonius.
Aponius.
Apuleius.
Aquilinus.
Arrianus.
Arias Montanus.
Aristides.
Artemidorus.
Athenaus.
Auctor Philomela.
Augustinus.
Aug. Thuanus.
Aug. Torniellus.
Ausonius.

B.

Baldus.
Bartolus.
S. Basilius.
Beda.
Benedictus.
Benedictus Fernandus.
Benedictus Pererius
S. Bernardinus.
Bernardinus Busti.
Bernartius.
S. Brigitta.

C.

Cæsar Baronius,
Cœlius.
Caietanus.
Cardanus.
Camelius.
Cassaneus.
Clictoueus.
Cassianus.
Catharinus.
Cedrenus.
Cicero.
Columella.
Constantinus.
Corduba.
Cornelius Scullingius.

D.

Daniel Heinsius.
Dionysius Areopagita.

E.

Egnatius.
Elias Cretensis.
Epiphanius.
Euodius.
Euripides.
Eusebius Emissenus.
Euthymius.

F.

Firmilianus.
Franciscus Suarez.
Froquellus.
Fraso à Sosa.
Frontinus.
Fulbertus Carnotensis.
Fulgentius.

G.

Gabriel Briel.
Gabriel Vasquez.
Galatinus.
Gellius.
Genebrardus.
Gesnerus.
S. Gregorius
Gregorius Nyssenus
Gregorius Valētia.
Gulielmus.

H.

Herodotus.
Hesiodus.
S. Hieronymus.
Hilgrinus.
Homerus.
Honorius Augustodurēsis.
Horus.

AVCTORES.

I.

Iacob. Christop.
Iacob. Pontanus.
Iacob. Valentia.
Idiota. chen.
B. Ignatius Antio-
Ildefonsus.
Io. Azor.
Io. Carthag.
Io. Damascenus.
Io. Driedo.
Io. Gerson.
Io. Lipsius.
Io. Pineda.
Io. Scaliger.
Io. Villalpandus.
Isidorus.
Iulius Alexander
S. Iustinus M.
Iuuenalis Episcop.

L.

Lampridius.
S. Laur. Iustin.
Laurentius Surius.
Leonardus Marius
Leo.
Longolius.
Lucas VValdingus.
Ludouicus Viues.
Ludolphus Carthu-
sia.

M.

Maiolus.
Marsilius.
M. Delrius
Mart. de Roa.
Martialis.
Martyrologia.
Marulus
Matth. Raderus.
Mela.
Melito.

N.

Nicephorus.
Nic. caassinus.
Nic. Cusanus.
Nic. Orland.

O.

Origenes.
Ouidius.

P.

Palladius
Paulus Iouius.
Pausanias.
Pet. Ant. Spinellus.
Petrus Canisius.
Petrus Damianus
Petrus Gelasius.
Petrus Moralez.
Petrus Ribadeneira
Phil. Bosquier.
Philostratus.
Pierius Val.
Pierius.
Pindarus.
Plato.
Plinius.
Plutarchus.
Prudentius.

Q.

Quintus Calaber

R.

Rob Bell.
Rab. Dauid.
Rases Medicus.
Ruffinus.
Rupertus Abbas.
Rutilus Taurus.

S.

Sabellius.
P. Sanchez.
Sanazarius, (dius.
Sebastianus Barra-
Seneca.
Sedulius.
Sidonius. (stes.
Simeon Metaphra-
Solinus.
Sophronius.
Statius.
Strozius.
Suetonius.

T.

Tacitus.
Tertullianus.
Theocritus.
S. Tho. Aquinas.
Thomas Argētinas.
Thomas Radinus
Tostatus Abulensis

V.

Varro.
Vegetius.
Velleius.
Venantius.
Viguerius.
Virgilius.
Vlpianus.
Vlyss. Aldrouādus.

FINIS.

ERRATA.

Pag.14. *allata* pro *allatæ* 28. in carmine *aure tui aura tuæ* 59. *Lilium cō uallium Lilium* 65. *prodire prodiere* 67. *facteis factis* 67. *omnes, omen* 67. *inuulnerabitem* & *inuulnerabilem* 6 0 *festiuitatem festiuitatum* 74 *Vechos Vecchios*. 74. *concinnentem concinentem* 77 *os luscinia, Lusciniæ* 99. *quorum quarum* 101. *campum cantum* 103. *sonet vox tua in aurib. tuis meis* 103. *allare lallare* 104. *vere vero* 114. *pericitationem per licitationem* 118. *super chros choros* 119. *Meandri Mæandri* 120. *festiuitatem festiuitatum* 128. Adagiographns Adagiographus 132. *patriæ patria* 141. *filiis Filij* 145. *à S. Antonio, Antonino* 166. *myriadas myriades* 175. *grunnies grunnitas* 185. *In margine Spind. Spinel* 215. *superiat superat* 242 *viridatem viriditatem* 242 *euocatum euocatam* 258. *altis alitis*. 273. Non *laudauit latuit* 292. *agitque egitque* 324. in margine *Piaut Plaut*. 330. *nouissimæ nouissime* 330. *notissime notissima*. 346. *in margine in Carthagen Carthagena* 354. *exornabit exornabunt* 361. *detrahæ detrahe*. 358. *annumeratus & annumerari aut* 367. *consensusque consensusquoque* 378. *Bersabec Bersabee* 391. *commendatione commētatione* 399. *affectum affectuum* 425. *Is its, iniis* 426 *Arbuscula Arbusculæ* 427. *commendatione commentatione* 429. *more* in ore 425. *demisissima demississima* 435. *vindicat rix vindicatricis* 451. *ccoccus coccus* 452 *comparatiunclæ comparatiunculæ* 461. *erumpere eripere*. 464. *vestes restis* 467. *amat Lazarus amas*.

MAXIMILIANI SANDÆI ORATIONES, ET SYMBOLA Parthenica.

ORATIO PRIMA.

Symbolum I.

COLVMBA MARIA-ANNVNCIATA.

Surge, propera Amica mea, Columba mea, formosa mea, & veni. Cantic. II, 10.

Mater amabilis ora pro nobis.

CVm haud ita pridem, de DOMINA nostrâ, meditantium ritu, somniare, nescio quid, minime Hortus Marianus.

ſoporato corde, occepiſſem, ita vigilantem duxit bonus Angelus, vt ſuſpicari iuuat, ad HORTVM cælico-terreſtrem quem poſtea MARIANVM vocari intellexi. Ne quis, ſiue aërios, penſileſque Babyloniorum, ſiue fabuloſos Heſperidum, ſiue imaginarios Adonidis, ſiue fictos Midæ, & Tãtali, ſiue quoslibet alios temporarios, ac profanos cogitet. Super horti portam orientalem (habebat autem quatuor, belle ad totidem cœli plagas diſpoſitas) vncialibus litteris inciſum animaduerti: HORTVS-CONCLVSVS.

Horti ingreſſus. Quapropter fruſtra me aduenisse ratus, pedem referebam, reditum parans, cum ecce, meus ille comes, Angelus,

lus, tangens mihi leuiter caput, virga, quam geſtabat manu, & VIGILANS vocabatur, nihil commotis ianuæ peſſulis, & cardinibus inconuulſis, in Horti vmbilico me ſiſtit. Senſi illico vim, humana maiorem, & vix me præ lętitia capiens, in alterum abeo, qui fueram, mutatus videbar. Iubet aſsiſtens Genius, circumferre oculos, graſſari luminibus, facio actutum ijs vagandi poteſtatem, & nunc in hãc, nunc in illam partem ocyſsime transmitto. Sed hîc mihi primum lætitiæ ſerenitatem, męroris nubecula obduxit. Auebam namq; flagrantiſsime, quantus quantus eram, OCVLVS fieri, neque enim, niſi omnia, quæ in me erant, OCV-

LVS fuiſſent, ſpes erat, tam varia, tam nunquam viſa HORTI illius decora, perluſtrandi. At cum deſiderio non ſatis fieret meo, nec membra migrarent in oculos: quod potui, & quantum potui, conatus, duorum luminum acies ad cotem æſtuantiſſimi adfectus exacuens, curioſiſſime, ad omnes Horti partes, & angulos, tanquam venaticos canes, transmiſi. Sed tam diuerſa occurrebant relatu digna, vt dies vnus narrationi non eſſet ſatis. Neque enim HORTVS MARIANVS herbulas tãtum habet, aut floſculos: vel arbuſculis ſolum ad voluptatem, amœnitatemque eſt conſitus, ſed in eo ſunt montes valles, flumina, prata, arua, villæ, vi-

Paradiſi opes.

lę, viridaria, nemora, ſyluę: pomaria, vineæ, arundineta, ſalicta, quid non? certe quicquid in loco aliquo, qui iure optimo PARADISVS dicatur, deſiderari poteſt. Iſtud autem præſentis eſt ocij, ac inſtituti.

Ad Orientis plagam SYLVVLA erat omnis generis arboribus plantuliſque, ad oculorum oblectamentum non minus, quam vitę neceſſitates referta; arbuſculis in quincuncem belle diſpoſitis. Lucũ dicerem, niſi ſcirẽ id vocabulũ contrario ſenſu eſſe vſitatius. Vocetur tamen Lucus, quia in ea lucet Mulier amicta Solis radijs, calceata Lunæ cornibus, Aurora rutilante circumdata, ſtellis micantibus coronata. Arborum quas inibi con

Syluula horti Mariani.

ſpexi, enumeratio alium diem exigit, explicatio luſtrum integrum: nam nulla deeſt earum, quæ vel Paradiſum, vel Libanum exornarunt.

AVICVLÆ. In hac Syluula rapiebat maxime aures, & oculos, auicularum ſpecies, & garritus, quin & ſuauiſſimus concentus quarundam, quæ inibi, tanquam in Auiario, q̃ ipſis libera cuſtodia, detinebantur, & circũuolitabant. Cum hęrerẽ: & quare hæ potius, quam aliæ ibidẽ nidularentur, ſolicite à meo Duce inquirerem, hoc reſpõſum tuli. Nihil in hoc Horto, niſi myſterijs pleniſſimum reperiri. Auiculas autem illas, eſſe entheas, & animatas quaſdam imagines, vnde notæ hieroglyphicæ ſumi poſſint, ad cœlorũ

Regi-

Reginę titulos, & illustria illius ornamenta eius Amatoribus, Admiratoribusque exponenda. Addebat: Festiuitatum præcipuarum, quibus DEIPARA colitur, ADMIRANDA, alitum circumuolitantiū formis contineri. Atque illas *Symbola* esse, ac viua Simulacra eorum, quæ in ijs recoluntur: dulcissima vero illa harmonia quam audiebam, quamuis non plane intelligerem, nihil aliud illas accinere.

Placuit hoc mihi admodum. Sed sex potissimũ admirabar Volucres, quæ in orbem commeando, ac si aereas, perpetuasque choreas ducerent, vti in cælestibus sphæris Planetæ vocales, per septem discrimina vocum, assis quidem sonis, li- *Septem Tubicines.*

cet nõ perfecte articulatis, sed tamen, quæ musicorũ instrumentorum concentũ, melius, quã Organa ipsa exprimerẽt, aerem lenissime feriebant, rapiebant aures, audientes expectorabant. Susurrabat mihi interim in auriculã sodalis meus ANGELVS, Viden' sex solennium festorum DOMINÆ N. sunt istæ Tubicines, *Conceptionis, Natiuitatis, Annunciationis, Visitationis, Purificationis, Assumptionis.*

Sex volucris. Iam me cupido vehemens exstimulabat gratissimas has volucres, earumq; naturas de propinque penitius inspiciendi; & inuestigandi, quæ-nam ipsis cum solennitatum Marianarum mysterijs esset communio. Porro, orbem dum in gyrum

gyrum ferrentur, faciebant i-
ſtæ, PHÆNIX, COLVMBA,
PAVO, LVSCINIA, CYGNVS,
GALLINA. Has ſex, PATRO-
NÆ N. Feſta ſolennia oculis
ſubijcere fidelib. & audientiũ
aurib. multis ego tunc didici
documentis. Vnius tãtum gu-
ſtũ aliquẽ dabo, vt orexim pro
ritem, non expleam appetitũ,
quem ſatiatum nollẽ, ſi quan-
do ad cetera haurienda ali-
quando adueniatis.

Hodiernus dies ſacer eſt VIRGINI ANNVNCIATÆ: cui dicatã COLVMBAM Achates ille meus ſuggerebat. Credidi, maxime, cum in alis, quas leniter motitabat, aureis inſcriptũ characterib. haberet, TYPVS DEIPARÆ ANNVNCIATÆ. Nemo aũt, vel me, vel Laterone — COLVMBA Annũciata.

nē meū, tam ꝓfane delirātem fingat, vt quemadmodū, à fabulatorib. antiquis, aquila Ioui Pauus, Iunoni: Gallus, Marti, Vlula Palladi: Mercurio Larus Phæbo, coruus: Orpheo, cygnus: Thamirę, Philomela: Agamēnoni coronata volucris; ita à nobis credat adscribi DIVÆ N. COLVMBAM, q̃ Poëtæ Veneri, vt Amoris *Symbolū* dicarunt. Alia nobis mens, aliæ causæ, cur candidissimi nominis Auē, cādidissimi pectoris, &corporis Virgini cōsecrandā duxerimus. Quæcunque n. in Annunciationis arcano latēt, *Columbæ* imagine elegāter exprimūtur: q̄ & ipsa est DEIPARÆ perfectissima Imago, q̃ salutare lubet: AMABILIS COLVMBA. Nemini non est notū

exvo-

ex vobis, quid in Nazarethico conclaui, Virgine oratorē cæleſtem ſuſcipiēte, & diuino ſpiritu admirando illā grauidante adflatu ſit dictum, factumq́; quare hoc loco ea retractare non attinet.

Nuncii apportatrix COLVMBA.

Quod in annūciatione primum ſpecto, eſt fauſtiſſimum nuncium, nō minus Orbi vniuerſo, quam Virgini, è cælorū curia tranſmiſſum, de ſoluēda miſerrima, in qua detinebamur, captiuitate: de reparādo hominū genere: de bonorū operūfructib. ex ſterili eatenus, & iracūdię diuinæ vndis obruta tellure protuberantibus, de miſericordię prodiga pene effuſione: *Aue gratia plena.* Mutatū eſt maledictionis VÆ, in benedictionis AVE. Sine væ, benedicta inter mulieres. Hîc

Columba Noe. Hîc ſtatim mihi COLVMBA in mentem venit, quam ſiccatis cataclyſmi vniuerſalis aquis alter orbis inſtaurator Noë dimiſit ex ingẽti illa ſua oneraria mũdi totius capace, quam Arcam dicimus. At, illa rediјt ad illum ad veſperam, portans ramũ oliuę, virentib. folijs in ore ſuo. Cur emiſerit vir ſapiens *Columbam*, laborioſe inueſtigãt aliqui, ſed diuinant, coniecturis minime idoneis. ex quibus illa: Colũbas longe volare, diuq́; perſeuerare in volatu; & ex his, q̃ effunduntur aliquid roſtello legere, ac ore referre. poſterius admiſerim, prius experiẽtia falſitatis damnat. Mihi illud placet: *Columbã* felicis nuncij *Symbolũ* eſſe, vt fortaſſe Noë, à maiorib. acceperat, ea-

pro-

propter illam emittere voluisse. Quod adeo persuasum antiquis, vt Plutarchus referat: In his, quæ de Deucalionis diluuio sunt prodita, hoc etiam contineri; columbam à Deucalione emissam esse, quæ primum regressa, manentis diluuij; iterum missa, nec regressa, cessantis indicium fecit.

Quanta sit similitudo inter saluationẽ animarum per Arcam Noëticã, & per Ecclesiã, cuius fundamẽta iacta sũt, hodie in vtero Virginis, non dissimulauit Petrus Apostolus Epi. sua, 1. c. 3. qui Arcã luculenter, cũ Ecclesia comparat: q; *Symbolũ* exornãt præclarissimi PP. Orig. in cap. 6. Gen. Homil. 2. Aug. li. 12. cõtra Faust. Manic. à c. 14. tum 38. & 39. Et lib. 19. *Salutis n[illegible]cia.*

c.12.Greg.Hom.12.in Ezech. Rup. Abbas. Tuit.libr. 4. in Gen.c.17.&18.Hier.lib.1.contra Iouinianum, & Dialogo contra Luciferia.& Ep.57. Cypr.Ep.74. &76. Firmilianus apud Cyprianum Epiſtola 75. Iuſt. Mar. Dialogo cum Triphone. Ceterum, tunc ſalutis nuncium tulit *Columba*, figura poſterioris nunciationis à Gabriele allata: quę dum palmæ ſurculo, ceu pacis, miſericordiæque teſſerâ armatum pingi vides, quid aliud, quam *columbam* Noëticam conſpicis, oliuæ ramum geſtantem? Aliud certe nihil Gabriel, quam pacem, gratiamque intonat: AVE MARIA *gratia plena*. AMABILIS COLVMBA.

Columba nunciat fauſta. Porro, tam proprium eſt *Co-lum-*

lumbarum fausta nunciare, vt Damasceni, Syrique, literas omnes ad amicos, *Columbis*, tãquam felicitatis veredariis, sub alas alligarent, non tam, vt epistolæ præcipiti pennâ venirent, quod non nemo insinuat, quam, vt à cursore quoque vel tabellario ceu faustitatis alite, commendarentur, vt obseruant docti. Idem in Græcia factitatum, cum Thaurestenes, in illa maxima quinquennali celebritate ludorum Olympicorum victor euasisset, *Columbam*, quam secum asportauerat è patria, purpureo insignem amictu, dimisit, & per cœlum eunte nuncio, summa pernicitate, patrem, Æginæ commorantem fecit, eodem die suæ victoriæ certiorem.

Bernartius lib. in Tib. Eleg. 7.

Magnis

Magna Plin.lib.10 cap.37.

Magnis in rebus fuere internunciæ *Columbæ* (inquit Plinius,) *Quid vallum, & vigil obsidio, atque etiam retia amne prætensa, profuere Antonio, per cœlum eunte nuncio?* Loquitur Plinius de Hirtio, qui ad Decium Brutum, Mutinæ ab Antonio obsessum, literas mittebat per *columbas*, quas fame, ac tenebris confectas, vicino mœnibus loco, emittebat, vt facilius ad escam, à Decio, rerum conscio, expositam, aduolarent, atque vt Decius litteras eis demeret: quod narrat Frõtinus. Quid maius vnquam lectum, auditum, tractatum, negotio Incarnationis Verbi? ad quod conficiendum mittitur, vt magnis in rebus internuncia *Columba*, Gabriel ad Mariam

Mariam: *Columba* ad *Columbam*. O AMABILIS COLVMBA.

Sed arcana maxime committi solent *columbis*, tanquam aëriis litterarum tabellionib. Me puero narrabatur in Hollandia, cum Harlemum ab Albani Ducis filio Friderico arctissima obsidione cingeretur, & glacie soluta, difficilior esset per terram ad vrbes vicinas & amicas itus ac reditus; obsessos, *columbas* cicures caueis inclusisse, & trāsmittendas ad vicina loca curasse, quæ deinde cum litteris, subter alas affixis, remissæ, Harlemum remeabant: atque ita litteræ arcani plenę, ad magistratum adferebantur. Id non semel feliciter cessit; vt scribit, elegantis quidem

Secreta.

Anno 1573.

Thuan. lib. 55.

Daniel Heinsius in Manibus Duzæ.

dem stili, sed affectibus nimis obnoxij, profligatique pudoris, & damnati apud Catholicos nominis, Historicus, Iacobus Augustus Thuanus. In eadem Hollandia, *columbam* cũ obsideretur Leyda, emisit Ianus Douza, de quâ geminum carmen, Græcum alterum, alterum Latinum legimus. Multa quidem arcana à mundo cõdito, è cœlis ad homines delata fuerãt, abdita multa, & mysteria agitata, in templo, monte, solitudine. Sed nullum illi simile, quod in Nazarethicâ camera, & aperiendum erat, & tacite exponendum, vere, secretum secretorum, secretũ secretissimum: arcanorum arcanum; cuius compendium, *verbum abbreuiatum*, DEVS *abscon-*

sconditus. Id committitur *columbæ*: Sed deferendum ad *columbam*: â Gabriele ad Mariã, AMABILEM COLVMBAM.

Nec verendum erat, ne interciperetur illa cæli, terræque caduceatrix, quod apud nos aliquando internunciis illis accidit. Meminime legere, *colũbã* cum litteris à Sultano, dũ à Gallis, Venetisq; obsideretur Ptolomais, fuisse eo missam, quib. significabat, se tridui interuallo cum copiis affuturũ. Sed Veneti *columbam* conspicati, militari clamore, ita eam deterruerunt, vt ex aëre delaberetur; moxque ei alligatis fictis epistolis, Sultani nomine scriptis, quibus indicabat scilicet, se obsessæ vrbi opem ferre nõ posse miserunt Ptolomaidem, *Columba intercepta.*

quæ

Sab. lib. 6. cap. 6. Egnat. lib. 6. c. 4.

quæ desperato auxiliorum aduentu, ante triduum, se suaque hosti dedidit in potestatem, vt scribit Sabellicus, & Egnatius. *Columba* etiam cum Godefridus Bullonius Ierosolymam obsideret, à Barbaris in vrbem cum epistolis transmissa ab accipitre, supra ipsa Bullonij castra in terram deturbata est, litteræque sub eius alis repertæ, vti refert Æmilius. Erat quidẽ *Columbæ* cælestium secretorũ internunciæ iter faciendum, per infessam à tenebrarum potestatibus viam, sed nullius, quamuis tartarei exercitus, clamor: nullius, licet stygij prædatoris astutia, nullius, tametsi infernalis insidiatoris vis, Dei potestate alatam deiicere, aut retardare potuit, recta è cęlo in

Æm. lib. 4

lo in

lo in Nazarethicā delapſa eſt aut volàuit àulam, *columba* ad *columbam*, Gabriel ad MARIAM, O AMABILEM COLVMBAM!

Gabrielem dum nomino, intelligitis omnes ſpiritum, ex beatis illis mentibus primariū, quæ ſemper vident faciem DEI Patris. De hoc duplex eſt apud Theologos quæſtio: *Prima*: An apparuerit in ſpecie exterius aſpectabili. Quod credentium cōſenſus confirmat: eſtque, meo iudicio, certiſſimum. *Altera*: An Angelus, nō ſolum in externa illa forma, ſed etiam in ſua ſubſtantia apparuerit, & viſa fuerit Dei paræ. Patrocinandum eſt omnibus DOMINÆ priuilegiis ſi ratione fulciantur, nec contraria ſint diuinis oraculis. Itaque

& hoc factum opinor. Vtriusque quoddam *symbolum columba* præbet: quę verum fuit corpus, cum spiritum repræsentaret. Et non raro illius intuitus significat purissimarum mentium cõtemplationem; vt illarum, quæ ex D. Iuliæ apud Adonem, in Mart. 22. Maij, ex B. Eulaliæ, apud Prudentium, & Marulum lib. 6. c. 16. S. Scholasticæ, apud Gregorium 11. Dialog. c. 34. B. Spei in Marty. Roman. 24. Martij morientium ore euolasse sunt visæ. Atq; id, vt asseramus, permittunt PP. qui idem senserunt. S. Ambr. lib. 1. de officiis c. 8. Et lib. 1. in Lucam. Origenes Hom. 4. in Lucam. Euseb. Emiss. Hom. in *Missus* est. Hier. To. 1. Ep. 7. ad Lætam & Epi. 22. ad Eustoch.

Aug.

Aug.ſer.14. de Natiu. D. Angelic.3. P. Q.30. Art. 3. atq; è noſtris Theologis, Franciſcus Suarez ead. q. Diſp.9. Sect.2.

Iam vero Nuncio adnexũ eſt anni *Tempus* quo facta eſt Annuniatio, quod egregie exprimit COLVMBA. Habet n. *Columba*, neſcio quid cum verna temperie commune, vt perite ſponſus illam anni tempeſtatem *Columbæ* introductione deſcripſerit, Cant.11. *Iam hiems tranſiit, imber abiit & receſſit flores apparuerunt in terra noſtra: tẽpus putationis aduenit: vox Turturis audita eſt in terra noſtra. Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni, columba mea, in foraminib. petræ, in cauernis maceriæ.* Quaſi dicat: O DILECTA! Anni tempeſtatem amæniſſimam, *Colũbarum* *Tempus Vernum*

barum

barum genere hieme muta, vere vocalis; hieme delitescens, vt hirundo: ad vernum tẽporẽ volitans. Hactenus fuit brumale tempus: omnia gelu glacieq; constricta. Hiems fuit tũ tempus Idololatriæ, tum tempus legis Mosaicæ: asperum legali rigore, frigidum legis, ac ceremoniarum inefficacia: obscurũ, ac nubilum propter potestates tenebrarum tunc regnantes per infidelitatem, ac peccata, quibus genus humanum iacebat oppressum. Vere vere tempus, non veris, sed hiemis, non misericordiæ, sed iracundiæ, quia DEVS omnia cõcluserat sub peccato, & Lex iram operabatur.

Vox Turturis. Huic nocti tenebrosæ infidelitatis, Iudaicæ, ac Gentilium

lium, finem hodie imposuit vox Turturis, quæ audita est in terra nostra dulcissimus cõcentus *Columbæ*, AMABILIS COLVMBÆ.

Quæ vox illa? Aponius vocem Turturis illam interpretatur: *Quoniam virũ non cognosco*: vt vox Turturis, sit professio cælibatus. Colit Turtur castitatem: quam iis verbis Virgo sancta professa est, & eius se voto damnatam significauit: iisdem iter præiuit facemq; prætulit illis filio dilectis, puris, castis, Angelicis] adolescentibus, clericis, sodalibus Marianis, qui propter Regnum DEI voluptatib. illicitis nuncium remiserunt.

Mihi, vox est *Columbæ*, & *Amabilis Columbæ*, *Ecce Ancilla Do-* Ecce Ancilla Domini.

B *la Do-*

la Domini. Ad hanc vocem, asperæ hiemi punientis iracundiæ, succeſſit vernum tempus gratiæ, dies ſalutis, tempus acceptabile, quando ſol Iuſtitiæ, aureũ arietis immaculati vellus ingreſſus eſt, & vernus diuini Spiritus calor terram noſtram benedictam fœcundauit. Tempus igitur tanti myſterij *Columba* indicat.

Locus Annũciationis. Qua ductrice, perueniemus etiam ad *locum*: Occupationem Deiparæ; diei partem illam, qua facta Annunciatio; illuſtres arcani hodierni circunſtantias. De *loco* dum agũt, delirant plane hæretici, inſulſi homines, qui fingunt Angelum, inueniſſe virginem in platea vagantem. Cur non in foro olitorio, aut ſcrutario,

rio, vendentem porcinam, aut ementem aprugnam? Quasi non dixerit sacer scriptor, *Ingressus Angelus ad eam.* In conclaui erat, Inepte, *Columbæ amabilis* domicilio. Ad latitantem ingredimur, & inclusam. QVA horâ? Qua, *Columba, Turturque* meditari solet. Quibus intentam inuenit? Illis ruminandis: *Ecce virgo concipiet?* Sedebat solitaria, & se supra se eleuabat, cum Angelus illam salutaret. Fortasse musæolo præscriptum erat: *Sicut pullus hirundinis, sic clamabo, meditabor vt columba.*

Quæ dicta hactenus, fere extrinsecus afficiunt: ad intima Mysterij penetro. In quo admirandus est diuini spiritus illapsus, quo verbis, per aures *Spir. S. illapsus.*

Damasc lib. 4. de fid c 5.

Virginis ad abdita pectoris sese insinuantib. ipsa VERBVM-ÆTERNVM, modo nunquam satis explicando, concepit: vt aure illam concepisse acute dixerit Ioannes Damascenus:

Virgo, tuum pronâ quæ concipis aure parentem:
Imprægnet nati nos precor aura tui.

Diuini autem Spiritus imago quædam est *Columba*: & illius ad rationalem in animo formandum conceptum, imprægnationem, columbinus susurrus repræsentat. Christo à baptizatore Iohanne, aquis in Iordane tincto, aperti sunt cœli, & vidit Spiritum DEI descendentem, sicut *Columbam*. Veram fuisse *Columbam* existimat

mat Tertull.lib.de carne Christi. Est qui 7. Spiritus S. dona in *columba* considerat, septem proprietatibus ornata. *Columba* quippe in petrâ nidificat: alienos pullos nutrit: pura grana eligit: felle caret: rostro non lædit: iuxta fluenta habitat: gregatim volat, vt colligit Honorius Augustodunensis, Cãtic. I. *Columba* Sp. S. naturam, &, vt ita dicam, habitum declarat. Omnium donorum largitor est Sp. diuidens singulis prout vult. I. Corinth. 12. 2. *Columba* gratiam significat, & charismatum dona: mansuetudinem quoque, & amorem Patris in CHRISTVM. Est enim *Columba* amantissimum animal, AMABILIS COLVMBA.

Columba Sp. S. Symbola. Columba, quam ad D. Gregorij de rebus sacris commentantis, & intra se nouos altissimorum mysteriorum conceptus efformātis, ac ore calamoque parturientis aurē cœlitus delapsam vidit Petrus Diacon. vt refert Cęsar Baronius Tom. 8. Annal. Anno Christi 604. & Io. Diaconus in vita Greg. lib. 4. cap. 69. tum illa, quæ super caput *Fabiani* Martyris in Pontificem electi, semel, vt habet Aquilin⁹ lib. 8. c. 105. & Petrus Gelasinus c. 4. & in Gallia, quæ supra *Ebutij* in Præsulem eligendi iterato descendit, quod narrat Aquilinus libr. 8. cap. 48. & Sanchez, in Mundi theatro part. 4. cap. 2. quæque ad auriculam Doctoris de Aquino lucubrantis pingitur: non-

S. Gregor. *S. Fabianus* *Ebutius.* *S. Thomas Aquinas.*

nonne ſpiritum diuinum, ſibi caros cæleſti impręgnantem aura, per aurem illabente ſignificabat? Sic lego, quod huc facit, *Alexandri Carbonarij*, ſanctiſſimi Epiſcopi concionem pulcherrimam, cælituſq; inſpiratos conceptus, *Columbarũ* grege, diuinitus fuiſſe ſignificatos imperito adoleſcenti, qui eam vt minus Atticam, arroganter irriſerat. Quod ex Gregor. Nyſſen. Orat. de S. Gregorio Thaumaturgo proferimus. *Alexander Carbonarius.*

Sed enim præmittendum hiſce fortaſſe fuiſſet, Annũciatione Gabrielis, id impetratũ à Virgine, vt ad verbi Incarnationẽ in virginali thalamo perficiendam conſenſum nõ negarit. Atq; hoc eſt ſingulare illud admirandumq; myſteriũ, *Columba Verbi Symbola.*

quod hodierno die colimus. Ad quod tres perſonæ diuinæ conuenerunt, PATER, VERBVM, SPIRITVS. Sed ſolum Verbum naturam humanam adſumpſit, quia ſolum Verbum caro factum eſt. AN non & huius aliquod ſymbolum eſt COLVMBA? Quod magis concinnum Verbi ſimulacrum, quam *Columba?* Quid *Columba*, quæ in aurem Magni Pontificis, Magni Theologi, ſemen Verbi immittebat, aliud, quam Verbi generationem, & inhumanationem quandam exprimebat? An nō ex Ioannis Chryſoſtomi, etiamnon viuentis ore aureo, quot verba, tot *columbæ*, prodire ſunt viſæ? Verbi itaque etiam, vt aliarum perſonarum diui-

diuinarum prçclara eſt imago *Columba*, AMABILIS COLVMBA.

Verum enimuero prçcipuum in Annunciatione miraculum, princeps perſona, eſt VIRGO DEIPARA, tota quanta COLVMBA, ô AMABILIS COLVMBA! Quoties illa audit à Dilecto, *Columba mea, formoſa mea*, Canticorum 2. 10. *Columba mea in foraminibus petræ*, Cant. 2. 14. *Soror mea columba mea.* Canticor. 5. 3. *vna eſt columba mea* Canticor. 6. 8. Propria ſunt illa huius diei, quæ ſponſa à ſponſo ſomniando audiebat. *En dilectus meus loquitur mihi: Surge propera amica mea, Columba mea, formoſa mea, & veni.* COLVMBA vtique, quia PVRA. Puriſſi-

DEIPARA COLVMBA.

rissimum est animal *Columba*: fœdari metuit: quicquid est sordidũ, abominatur. Siccatis à diluuij aquis, Noë emisit *Columbam*, vt videret, si iam cessarent aquæ super faciem terræ, Genes. 8.8. Quæ cum nõ inuenisset, vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad eum in Arcam. Quæstionem mouet Augustinus: Quomodo *columba* non inuenerit locum vbi pedem poneret, cum iam quadraginta diebus ante, cacumina montium nudata apparuissent? Expedita respõsio, quam ingeniosus Doctor suggerit, & aperte tradit D. Chrysostomus, Homil. 26. in Genes. licet vertices montium detecti essent, mansisse tamen humidos: sed & limosos,

℞. Quia pura.

mosos, ac lutulētos: quamobrem, *Columbam*, animal delicatum, ac mundiciei amans, refugisse in iis vestigia ponere: aut si posuit, (Nam Iosephus, libr.1. Antiquit.scribit, eam lutulentis pedunculis rediisse ad Noë in Arcam) statim retraxit, vt obseruant Benedict.Pererius, libr.13. in Genes.Disp. 9. Augustinus Torniellus in Annalib. Num.29. De puritate Dominæ nostræ dicere non attinet; cum qui in Angelis reperit prauitatem, eius munditiem adamarit. Sed singulare est in puritate Virginis, quod illam in alios effundat; O Vere MATER PVRISSIMA ora pro nobis.

2 Quia amans munditiei.

Agnoſco in te columbinã indolem. Amant illæ, quia puræ, loca limpidis aquis ſcaturientia, quibus ſolitæ crebro ſe mundare, & viſum recreare ac vmbram noxiarum auium, velut in ſpeculo deprehendere, ac fuga periculum præuenire. *Oculi tui ſicut columbæ, ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſſima.* Canticorum 5. 12. O lactea *columba*! Lac ita eſt candidum, vt etiam candorem inducat; ita mundum, vt mũdet. Quod

Suet. Ner.

laſciuia Poppeiæ pellicis docuit, quæ nititandæ cuti aſinarum greges alebat, quarum lacte lauaretur. Ita eſt candida *Columba* noſtra, vt candorem quoque amatoribus ſuis con-

conciliet. Hunc etiam atq; etiam, non tam corporis, quod nigredine fuſcum, ſat nitet; quam animæ, quæ niſi candida, coram Deo putet, à te eniſſime poſcimus, AMABILIS COLVMBA.

Iàm, quid magis admirandum in Virgine Annunciata, quam Puritas, & Conceptus: Virginitas, & Fœcunditas? Vtriuſq; Symbolum eſt *Columba*. Decantatum eſt illud: 3. *Quia fœcunda.*

Exemplo iunctæ tibi ſint in amore columbæ:
Maſculus, & totũ fœmina coniugium.

Fœcunditatis eximiæ, & numeroſæ ſobolis animalculum eſt *Columba*. Concipiunt *columbæ*, pariunt, incubant, enutriũt pullos, decies, interdum

etiam vndecies, anno vno, vt auctor est Aristoteles libr. 5. Hist.cap. 13. & Varro lib. 3. de re rustica. cap. 7. etiam duodecies, ex Æliano, li. 1. Variar. cap. 15. etiam ter, quatuorue decies, ex Plinio lib. 10. cap. 58. nam binis mensibus terna æstate edunt paria: & inter pullos oua inueniuntur, ac alij quidem prouolant, alij erumpunt.

Quare lectis genialibus columbarum formas appositas inuenio. Canticorum 3. 3. Vbi de lecto Salomonis est sermo, dicitur, *Ascensum purpureũ media caritate constrauit*; Quod Almonacirius exponit de thalamo sponsi gemmis effigiato conciliatricibus caritatis, cum imaginibus candidissimarum

dua-

duarum columbarum. Et quidem Hebraice dicebatur, *Apirion*, à verbo *Parah*, quod eſt creſcere, ac multiplicari, & *Ion* ſeu columba, quaſi dicas, *Multiplicatio*, ſeu fœcunditas columbæ: quam precabantur Rebeccæ fratres Geneſ. 9. *Creſcas in mille millia, & poſſideat ſemẽ tuum portas inimicorum tuorum.* An idcirco *Columba* hieroglyphicum eſt Spiritus ſancti, cuius gratia generatur, propagaturque copioſiſſime Chriſti familia? Quid de fœcunditate *Columbæ* noſtræ dicam, cui, vt veriſſime, ita iucũdiſſime, acclamatur à fidelib. MATER VIVENTIVM ora pro nobis.

Vere COLVMBA, quæ Amoris ſinceri, ac fidei coniugalis *4. Quia amabilis.*

galis

galis eſt icon. Ideo Cypriæ Deæ currum, Poetæ ab his alitibus trahi fingebant. Rectius diuina oracula, ſponſum & ſponſam his volucribus comparatunt. Aptiſſime S. Spiritus *Columba* dicitur, quem amor Patris ac Filij produxit. Quam amans noſtra fuerit *Columba*, quis enarret? cum amor, quæ ceteris vitæ, huic mortis cauſa fuerit. Amore enim mortuam Mariam alibi doceo. Huic accinunt, nuptialis carminis phonaſci, ô Mater amabilis, ô pulchræ dilectionis ora pro nobis. AMABILIS COLVMBA!

3. Quia patiens. Vere COLVMBA, quia mitis, manſueta, patiens: quæ dotes ſunt, aut virtutes, ſi ſic loqui fas, *Columbæ*, quæ felle caret, ex

ret,ex Plin.lib.10.ca.34. Arist. lib.6.animal. Cui licet sit casta & innocens thori custodia, tamen zelotypiam comparis, peregre redeuntis, nõ euadit. Videre iuuat? & est iucunda huiusce rei contemplatio: attẽde, dum columbus redit ad columbarium: animaduertes, hanc, *suspicionibus indulgentem*, (vt eleganter hos Zelotypiæ motus exprimit elegans scriptor) *pectusculo intumescere: tum raucum quid, & minax gutture fremere: mox circuire coniugem, & indignantis schemate, rapido caudæ syrmate, solum radere: ac ne dubites iratum, fodicationibus rostri, & alarum ictibus, nihil mali commeritam multare. Perstat tamen illa patiens, nec succenset indignationi ex amoris vehemen-*

mentia natæ: non fugam adornat, vt se subtrahat: potius applicat propius, propiusq;: non vim cõtra parat, sed mansuete perfert omnia, donec tolerantiæ diuturnitas, & mansuetudo sæuientis iram vincat, & molliat ferocitatem. Sic tandem ille suspicionis oblitus, totus cicuratur, & hoste exuto, induit amatorem, redit in amoris reconciliationem, & rostrorum coniunctio, ardentiori dilectione, redintegratur, sicut flamma, frigidæ guttulis inspersis, crescit. Quid memorem, quam asperis experimentis Columbulus sponsus, hanc suam *columbam* in Iudæa, & Ægypto, ad patientiæ & constantiæ decus perduxerit? Quo illa animo, documenta patientiæ, vt amoris rudimenta, non minus,

æqua-

æquanimiter, quam fortiter susceperit? Quænam illa tolerantiæ, mititatis, mansuetudinis exempla reliquerit, vt cœlestis sponsi paranymphi ingeminare possint, Virgo mansuetissima ora pro nobis.

O COLVMBAM innocentia, ac veracitate, quam candor indicat, à qua, *columba*, maxime commendatur. *Columbã* vtique, non è Chaonijs vnam, d qua Herodot. lib. II. quæ ex Ægypto profuga, in Iouis Dodonæi fano, sub humana voce, vulpinæ fallaciæ nundinas agebat: sed quæ, dum Iessæa super arbore sidit, candore pulcherrimo delectat pariter ac suorum delectatur. Nã nisi mendaces sunt Probus Grammaticus, Columella, & Palla- *6. Quia candida innocentia.*

Palladius, albo tectorio *Columbæ* mirum in modum afficiuntur. Non est inuentus dolus, non fraus, non mendacium, non falsitatis, aut fallacitatis species in *Columbæ* N. pectore, multo minus in ore, quo detestatur, simulatores, fraudulētos, hypocritas, qui fingunt se bonos sodales Virginis, cum sint profligati nepotuli, socij nebulonum, cōtubernales furum, & Veneris, proci Penelopes: genimina viperarũ. Hos tu vides, & pateris, ô innocens Columba!

7. *Quia Simplex.* Sed non veracitate magis, quam simplicitate, quæ mira est in columba: adeo, vt nisi serpentinæ prudentię nōnihil misceatur, in stoliditatem abeat. Erat PATRONA N. simplicis-

plicissima: sed nõ stolida: cum simplicibus illi est conuersatio non cum stupidis, de quibus dici potest, quod est apud Oseam, cap. 7. *Facta est Ephraim, quasi* columba *seducta, non habens cor*. Quod indicat hominem obliuiosum, salutis suæ negligentem, qui non meminit offendiculi, in quod impegit, ô quam multi sunt tales! cum tamen Piscator ictus sapiat: & Phryx plagis fiat melior. *Columba* stolida aduertit quidem aduersarium, & fugit: mox tamen vili esca illicitur, & ad eundem locum, immemor periculi, reuolat. Rapiuntur pulli è nido: mox in eodem oua ponit: quid hoc stultius? Aues ceteræ pullos, cum vitæ periculo, protegere festinant; *Non stolida*

& cum

& cum ad nidum ſuum, acci-
pitrem, colubrum, coruum,
cornicem accedere viderint,
huc illuc volitant, vel morſu,
& vnguibus prędatorem lace-
rant: vel ſaltem dolorem que-
rula voce teſtantur. Sola *colum-
ba*, ſtolida, ablatos pullos non
dolet, non requirit. Addit
Theodoretus aliud ſtolidita-
tis indicium: quod *Columba*
pullis priuata, loco non mo-
ueatur. ô quot tales ſunt *colum-
bæ*! ſtolidæ, ſtultæ, excordes!
quæ damnorum ſpiritualium
occaſionibus cõtagioſa loca
nõ vitant. Qui, vt, obſeruat in-
genioſe Adagiograph⁹ noſter,
ſiue Principes ſiue, Pręlati, ſiue
Magiſtratus, ſiue Parẽtes, ſiue
Magiſtri, dãnis gregis ſui, vel
liberorum nõ dolent, ſed ſto-
lide

lide negligunt: *Popule ſtulte nō habens cor.* Fuit ſimplex DOMINA N. vt *columba*, ſed cordata, ac prudens, vt ſerpens. VIRGO prudentiſſima! Sedes Sapientiæ!

O COLVMBAM admirabili Prouidentia, quæ pars eſt Prudentiæ. Columbinæ Prouidentiæ eſt, vt Accipitrem effugiat, in petræ foramina ſeſe illatebrare, & inibi deliteſcere. Quid *Columba Columbarum* MARIA? cæteris altior, profundiorque, nidum ſeu cubile ſuum poſuerat in Petra, quam paritura erat, quæ ſine hominis manu de ipſa erat abſcindenda: ideoque tuta fuit ſemper, & inuulnerabilis. Nihil contra illam Dæmonum artes; nihil hæreticorum poteſt vafri- 8. *Quia prouida.*

vafricies: niſi quantum in petram, quæ in caput mittentis, tela conuertit: niſi quantum in rupem, roſtrata: in ſcopulum, marini fluctus: in ſaxum ventorum murmura, in cautē ſpuma: in adamantem, ferri acies: in clypeum, arundo: in galeam, niuoſi flocci: in aurum flamma: in ſolem, nubecula.

Deſinite hæreticæ fruſtra ſperare cateruæ:
Accipitres nullos iſta COLVMBA timet.

Augurium Troiæ euertendæ. Liceat mihi hoc die ſacro, vnum quid è profanis adducere, quo profanos, quos odi, feriam. Calchas olim in augurio *Columbæ*, per accipitrem diſcerptæ, & vncis pedibus euiſceratæ, totius Troiæ fatū præuidit:

uidit: Auctor Q. Calaber, Homeri Paraphrast. ad libr. 11. Iliad. Ego Hæresum omnium exitium contemplor, imo prædico, in conatu accipitrum infernalium, MARIAM, vt *Columbam* rapacibus vncis discerpendi. Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem: si quid mali optari posset sectarijs, quidnam maxime illis esset exitiale: multa cateruatim, sese offerunt: sed illud est palmarium, vt cæco impetu ad discerpendam, id est, calumniandum, conuitiandum, blasphemandum MARIAM conuolent. Addam aliquid, sed secreto (quæso vos extra hanc aulã non spargatur me dixisse) In huius *Columbæ*, sub vnguibus vulturum fœde pene dilacera-

tæ, ſed in imagine, augurio, præuidi fatum rebellium, nuper in Bohemia tumultuantium. Audiſtis enim, vel legiſtis, quæ in Dominam N. patrarint. Nam certum habeo, nihil peioris poſſe eſſe ominis, etiam in huius vitæ fortunis, quam adeo deſipere, vt quis audeat MARIÆ, *Amabili Columbæ*, vim ſtilo, vel lingua, deſerendo, contemnendo, detrahendo, blaſphemando inferre.

Blaſphematores MARIÆ.

Scio ex Theologiæ moralis decretis, fas non eſſe homini, delectationem capere, de opere malo cogitato, vt furto, homicidio, luxuria. Quare deteſtor, & indignor, dum intelligo, nefarios, ſacrilegosque fidei hoſtes Marianū nomen

men scelerate proscindere. Sed tamen, vix mihi temperare possum, quin me delectet insanissimorum hominũ vesania, dum modum blasphemandi cogito: quo pacto, quis quandoque delectatur, de varijs furti, aut rapinæ modis, nec tamen criminosa censetur delectatio, vt docet Card. Caietanus, in Summa, *tit. Delectatio morosa.* At quare delector? quia certissimus sum, quod DEI, ac D. Nostræ inimici capitales, interitum sibi parent, non minus, quam si ensem capulo tenus in pectus reconderent. Nulla quidẽ gratior esca obuenire potest Accipitribus, quam *Columba* alba, seu pura: vsque adeo vt referat Vlysses Aldrouandus libr. 4.

Ornitholog. ex probatis aucto ribus, fugitiuos Accipitres albæ columbæ obiectu reprehendi, ac denuo capi. Sed petra non tantum refugium est herinaceis: at in ea quoque *Columba* inuenit sibi domum. Ad cuius asylum recipiens se AMABILIS COLVMBA, Vultures omnes certius euasit, quã ea, quæ apud Homerum Iliad. Φ. DEAM, nescio quam docuit periculi telum, rupis subsidio propulsare.

Columba in Petra. Nec tibi, cultor *Colũbæ*, potest esse tuta mansio à facie timoris Domini, nisi in hac petra, id est, vulnerato in Cruce. Ingredere: horres fortasse, quia audis foramina, intranti videbuntur foramina. Si penetraueris, reperies aulas, & cubilia.

bilia. Nonne legisti: *Vade populus, intra cubilia tua: abscondere modicum, ad momentum, donec pertranseat indignatio. Ecce enim Dominus egreditur è loco suo, vt visitet iniquitatem.* Isa. 27. 20. Quid tutum extra petram cum aduersarius noster, Diabolus circumeat, quærens, quem deuoret? Columbam vestram coronatam sequimini, Sodales, columbini pulli.

8. Quia boni exempli.

Vere COLVMBAM, quæ boni exempli solet esse *Symbolum* Columbarum effigies, ipsasque adeo *Columbas* lectas reperio, vt super conuiuas balsama spargerentur. Quod productis quam plurimis omnis generis scriptoribus copiose demonstrat Martinus de Roa

lib.3. ſingular. cap.1. Profectò, nunquam tam precioſæ vnguentorum guttæ ſuper Macedonum, aut Cypriorum, aut Phęnicum hoſpites vnquã depluebant, quam Sancti odoris exempla vniuerſum orbem irrorarunt, vna columbarum *Columba*, gratia plena, balſama ſanctitatis humilitatisq́; eximiæ effundente.

Nardus humilitas.

Quam accommodate myſterio hodierno dicere potuit: *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo Nardus mea dedit odorē ſuum?* Nardus humilitatem in arcana ſapientia ſignificat, quæ licet ſemper excellens in Virgine, multo tamen excellentior viſa, poſtquam DEI Filius, Rex Regum, Dominus Dominantium, in illius aluo, humanam indu-

indutus carnem, in accubitu ſuo, non alieno: ſuo, in quo nulla portio, Mundo, Diabolo, peccato, cæpit requieſcere: tunc dedit MARIÆ Nardus odorem ſuum: vel, vt Theodoretus, & Origenes legerunt: *Odorem eius*: id eſt: floris Ieſſæi: CHRISTI bonus odor MARIA, dedit odorem Chriſti, quia Chriſtus illi dedit ſuum. Nam in vtero huius *Columbæ* CHRISTVS, id eſt, vnctus oleo, & vnguento lætitiæ latebat, hoc illa vnguentum prodige in omnes diſſeminabat: qui illud, vt capaces, & ipſi *Columbæ* ſuſcipiunt, & porro ſpargunt.

Quod enim de Alexide quodam memorat Athenæus *Columba vnguenta fundens.*

libr. 15. cap. 17. non alabastro perunctum, cum res sit quædam temporanea, sed *columbas* aliquot dimisisse, perfusas non eodem vnguento omnes sed singulas proprio, quæ *circumuolitantes, nostras*, inquit, *vestes, strataque conspergebant*: id mihi DIVA COLVMBA nostra, in alios large diuitias suas profundente contingere videtur. Quot enim Virginis amatores sodales hîc conspicor, & illos maxime, qui renouato Magistratu reliquorum paulo post declarabuntur Principes, vt loco, sic virtute, tot *Columbas* suauissimi odoris oculis meis obuolitantes animaduerto, & admiror. Sed per quam ad hoc cæleste Colum-

lumbarium adductas? Vultis id intelligere?

Solebant olim, qui *Columbas* aucupabantur, vt M. Basilius ad Iulittam scribit, tali vti industria. Columbam aliquam domesticam vnguento perungebant, cuius odor gratissimus esse *Columbis* perhibetur. Sic delibutam dimittebant. Illa per aërem volitans plurimas odorum fragrantia sibi copulabat. Atque ita, quæ sola euolarat, multis alijs comitata, & triumphantis instar, stipata redibat. Sola, sola fuit castitatis votiuę amãs, quæ hodie virum se non cognoscere, nec cognituram est professa: hanc solam emisit, hodie cælestis Auceps, sed gratiarum, virtutumque vn- *Columba auceps.*

guento delibutam. At volitat iam innumeris associata sodalium agminibus, illud vnanimi sono concinentibus: *Curremus in odorem vnguentorum tuorum, adolescentulæ dilexerunt te*, O AMABILIS COLVMBA!

Quia trepida. Sed cur trepidat? vt salutata fuit tenella ab Angelo: *Turbata est in Sermone eius.* An fortasse, quia meditabatur, vt COLVMBA, attentissime altissima? Est autem naturale, quum mens eleuatur ad res diuinas contemplandas, & sese insolitæ offerunt species, vt pars inferior debilitetur, indeque oriatur perturbatio. An fortasse, ob verecundiam virginalem, Columbinæ persimilem, dum alium

quam

quam comparē aduolare cernit? Gabriel viri, iuuenisue specie, non pulsatis foribus liber ingreditur. *Trepidare Virginum est, vt Columbarum & ad omnes viri ingressus pauere*, vt inquit Ambros. lib. 1. in Lucam. *Salutata ab Angelo tacet, & mota est ad introitum eius, quia ad virilis sexus speciem peregrinam, turbatur aspectus Virginis*, inquit idem Mediolanensis Antistes, lib. 1. Officior. cap. 19.

At, nonne sæpius ei visus erat Angelus? Respondeat Episcopus Ambrosius lib. II. de officijs initio. *Gabriel eam vbi reuisere solebat, inuenit, & Angelum Maria, quasi viri specie mota trepidauit, quasi non incognitum, audito nomine, recognouit. Ita* *Virgo turbata in sermone Ang.*

 pere-

peregrinata est in viro, quæ non est peregrinata in Angelo. An fortaſſe ob humilitatem, cui propria laus ſuſpecta, & terroris cauſa, non ſecus, ac miluus *Columbæ* paſcenti in conuallibus? Vt vt res ſe habuerit, turbationis huius & trepidationis imago perbella eſt COLVMBA, quam dum de timore repentino, & trepidatione agitur Symbolice adducunt Eruditiſſimo, Propheta Ezech. cap.7.16. *Erunt in montib. quaſi Columbæ conuallium omnes trepidi.* Erat DOMINA N. licet in altiſſimo perfectionis monte domicilium collocaſſet, *Columba conuallium:* Sicut ſponſus. *flos campi, & Lilium conuallium,* ob humilitatis depreſſionem, quam in Annunciatione præ-

præcipue oſtendit. *Ecce Ancilla Domini.*

Columba fuit Patrona N. quia candida, & innocens: mitis, & manſueta: fida compari ſuo DEO: patientiæ, humilitatis, caritatis, & omnium virtutum laude cumulata. *Columba*, quia columbinum pullum hodie concepit, poſtea peperit: & pro columbulo, non obnoxio, ſed innoxio par obtulit columbulorum, alterum filij, alterum ſuæ teſtem innocentiæ in oculis diuinis locupletiſſimum. *Columba*, ſuper cuius pullum, ex aquæ riuis aſcendentem, Spiritus S. in ſpecie *columbæ* deſcendit, cunctis videntibus. Vera *Columba*, ſuo vtique columbulo; quæ tibi erit *Columba*, ſi te genuinum eius

Columba pullus Christus.

columbum, ac pullum, corde, lingua, manu, cogitatis, verbo ore, præstiteris. Tunc dicere poteris, *Formosa mea, Columba mea*; meis oculis, meo iudicio, meo adfectu. Ego tuus columbus, Tu mea columba.

Columba dux viæ. Felices vos, si hanc *columbam* peregrinationum vestrarum Ducem habueritis, & actionum beneuolam fautricē: certissimo ad optatum felicitatis portum, operationumque heroicarum scopum peruenietis, vt illi, qui de *columbæ* ductu gloriati huic vni velleris aurei possessionem adscripserunt.

Nauis Iasonio peteret cum remige Colchos,
Dux fuit æquoreis vna COLVMBA *viis.*

Hac

Hac præeunte nitens pretiosi velleris auro,
Græca peregrinas cymba reuexit opes
O socij quotquot nostris habitatis in oris
Sidera deposito nunc petitote metu.
Haud opus est vllum, iam formidare periculum
Securi sequimur, quãdo Columba *præit.*

——*cum rudis Argus*
Dux erat ignoto missa COLVMBA *mari:*

ab Augure Mopso, Heroes de vellere aureo bene sperare sũt iussi, vt est apud Apollon. lib. 3. Argonaut.

Ita Chalcidenses, qui Cumas in Italia condidere, classis cursum esse directum *Columba-*

lumbæ antecedentis volatu glo riabantur, vt refert Velleius Paterculus lib.1. Hist. Rom.

Ita deniq; cum non daretur

—— *telluris operta subire*
Auricomos, quā quis decerpe ret arbore fætus

Vix paucis pius Æneas precatus erat.

—— —— *geminæ cum forte* COLVMBÆ
Ipsa sub ora viri cælo venere vo lantes
Et viridi sedere solo. Tum maximus Heros,
Maternas agnoscit aues, lætusque precatur,
Este duces, ô si qua via est, cursumq; per auras
Dirigite in lucos, vbi pinguem diues opacat
Ramus humum. Quæ

Quæ pascentes tantum volando prodire
Quantum acie possent oculi seruare sequentum.

Huius *Columbæ* sapientem simplicitatem, quam stultam Coruorum quorundam astutiam sequamini.

Cur fraudulentos quæritis duces turbæ
Infortunatæ?
Quicunque blandis machinis tegit verbis
Et decipit non est Columba, sed coruus.

Non sitis filii *Coruorum*, sed *Columbæ*. Verissime Augustinus Tract. 5. in Ioan. c. 1. *Coruum* & *Columbam* Noachi explicans. *Qui sunt Corui? qui sua quærunt. Quæ Columbæ? qui ea, quæ Christi.* Caue, ne cum pullus *Columbæ* au-

bæ audias, in Coruum degeneri conuersatione muteris.

Epilogus. Vos colite MATREM Vestram, vt COLVMBAM, in eaq; cælestis *Columbæ* dotes agnoscite. Eligite eam in DVCEM viarum vestrarum, quæ fuit initium *viarum Domini*. Sit illa internuncia vestra: illi animæ, salutisque negotia committite. Quæ nunquam tractanda suscipiet, nisi, quam colitis ad patrocinium, colatis quoque ad exemplum. Estote itaque *Columbæ* similes, sed MARIANÆ. Sit in vobis amata Virgini Virginum puritas. Illud fixum, & inuiolatum in vobis maneat: *Mori malo, quam fœdari.* Estote fideles DOMINÆ Vestræ, vsque ad mortem. PATRONÆ vestræ Sacramentum dixistis, nolite, quæso vos, eam

deserere, Nolite offendere. Cauete ne verbis eam lædatis, vel factis, Malum omnes COLVMBAM violare, inuulnerabilem?

Sit vox vestra, vox Turturis honesta, casta, pudica. Quid Sodali, quid Ecclesiastico, quid Christiano, cum verbis blasphemis, spurcis, impudicis? Quid luci cum tenebris? Christo cum Belial? Fel amaritudinis, rancorisque abiicite, Innocentiam, candoremque columbinum, induite. Spargite, vt *columbæ*, longe, lateque bonum CHRISTI Odorem. Simplicitatem adamate, sed prudentiæ serpentinæ cõiunctam.

Denique, faxit DEVS, Sodales, vt quæ *Columba*, Margari-

garitæ, castissimæ virgini, & fortissimæ Martyri quondam auream coronam imposuit, quæ quatuor hominum millia CHRISTO conciliauit, eadem, cælitus ad vos missa, postquam puritatis, integritatis, mansuetudinis, sinceritatis præclara documenta dederitis: postquã candoris odore vestri quã plurimos, ad veri DEI religionem, solidam pietatem, adfectum, amoremq; in DEIparã DominamN. *Columbarũ columbam*, attraxeritis, capitibus vestris gloriæ coronam imponat immarcessibilem, quod colúbarum amatorem sponsum, ego, vestri causa, pertinacissime precor. ANNVE votis MARIA sponsa, AMABILIS COLVMBA.

ORA-

ORATIO
SECVNDA.

Symbolum II.

LVSCINIA.

MARIA VISI-TANS.

Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis. Cantic. II. 4

Mater suauissima ora pro nobis.

ARgumentum dictionis hodiernæ erit LVSCINIA, seu PHILOMELA, inter canoras volucres cantatrix festiuissima, ideoq; Virginis DEIPARÆ, in visitatione agnatæ Elisabeth suauissimam concinnentis odem, DEVMQVE lusciniioso concen- *I. Luscinia Symbolum Deiparæ.* *Cantus Philomelæ.*

cen-

centu, magnificantis, nobile symbolū, ex iis auiculis, quas in Horto Mariano, arcana significatione, in gyrum actas festiuitatem DOMINÆ-MARIÆ diximus esse animatas imagines. Diuina LVSCINIA quid moraris?

Auctor Philomela.

Dulcis amica, veni, noctis solatia præstans,
Inter aues etenim nulla tibi similis.
Tu Philomela potes vocum discrimina mille,
Mille potes varios, ore referre sonos,
Nam quamuis aliæ volucres modulamina tentent,
Nulla potest modulis æquiualere tuis
Insuper est auium spaciis garrire diurnis:

Tu

Tu cantare simul nocteque die-
que potes.

Faue *Dia Luscinia.* Vos atten-
dite.

II. Egit in *Visitatione* DOMI- *I. Deiparæ Poetria & Musica.*
NA.N Poëtidem,& Musicam,
versificatrix æque ingeniosa,
ac delitiosa modulatrix. Vtri-
usq; simulacrũ est LVSCINIA,
quam, si Poëtriam neges, car-
minis rationem, quod sine in- *Pier. Valeri. lib. 23.*
termissione cantillat, ignoras:
si nescis esse Musicam; aut, vt
Charmides Atheniensis voca
re solebat φιλόμουσον, aures ex- *Cæl. lib. 22. Lect. antiq.*
purga; & quoniam non-
dum cantandi tempus est e-
lapsum circa solstitium, eia
quæso te, mecum rus conce-
de, ad villam proximam, quæ
est viri nobilis, mihique ami-
cissimi. In ea Hortus fonticu-
lis

lis exſilientibus irriguus: arbuſculis frugiferis, in quincuncem diſpoſitis amænus: herbulis, floſculiſq; odoratis iucundus. Circum illam, vineæ, ſaltus ſyluula mihi grata in æſtu, arboribus denſa & opaca. Sumamus hic cœnam, ſi placet, ſed frugalem, & Platonicam, cuius caput, lactuca, radiculis diſtincta, & ouis coronata, tũ quindecim ranarum clunes luculenter elixæ: decem fungi bene toſti: octo limaces muria conditæ. Comedimus, poſt quietem, quæ furtim capienda litteratis, eiiciamus nos è pluma ante auroram. Iam ſumus hic in ſylua, cantat Philomela: aures arrigamus.

En vt ſuauiſſimè moduletur auicula ſonum, qui nunc conti-

tinuo ſpiritu trahitur in lon- *Cantus Philomelæ Pl. l. li. 10. c. 29.*
gum, nunc variatur inflexo,
nunc diſtinguitur conciſo, co-
pulatur intorto, promittitur
reuocato, infuſcatur ex inopi-
nato. Attende, cum ſecũ ipſa
murmurat, quam plena, quam
grauis, quam acuta, quam cre-
bra, quam extenſa ſit modula-
tio. Perpende, vt ſonus ipſe vi-
brans, vt ſummus, vt medius
exauditur? vt omnia perſonãt
tam paruulis in faucib. quæ tot
exquiſitis tibiarum tormentis
ars hominum excogitauit.

III. *Superat Luſcinia a Maria.*

Sed nihil hæc ſunt ad Ma-
rianam modulationẽ, qua ho-
dierno die animulæ diuinæ
DEVM magnificantis tonos
edidit, nulli infra Mariã, Luſci
niæ imitandos, ſiue multiplicẽ
vocis varietatem, ſiue delecta-

 bilem

bilem ſuauitatem ſiue pertinacem in ea continuationem ſpectemus. Orpheos, Amphiones Ariones, Orlãdos Vechos, opinor, & Sirenas ipſas, deiectis in terrã oculis pudibundas receſſuras fuiſſe, cõtractis in fronte rugis, & maligne reſpectantes, vel ad Reginæ cõcentũ obſtupefactas, aut plaudentes, ſi aſſa, qua valebat incredibiliter, voce, ſupra omnes orbiũ cæleſtium tympaniſtrias, & phonaſcos, concinnẽ rem audiſſent MARIAM, MAGNIFICAT ANIMA MEA DOMINVM. ô MARIA! ſonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis.

Cæli ſilet concentus ordinum
Modulante Regina Cardinum

Philo-

Philomela rauca repelleris,
Hic de cantu site iactaueris.

Superat te, quæ sola vocari digna LVSCINIA, MARIA. At cuius illa generis? De genere & differentiis Lusciniarum disserunt Ornithologi. Omitto alias: huius loci est propria, quæ ex locorum, vbi degũt, diuersitate sumitur: à quib. aliæ, *Montanæ*, alię cognominantur *Palustres*. Certe quasdam mõtes, quasdam palustria amare, ex cantus diuersitate obseruauit Iulius Alexãdrinus ad lib. 9. Galen. de simplic. Medica. fac. *Obseruatum, inquit, Luscinias palustribus in locis ac planis, multo minus sonorum edere cantum solitas, quam in montanis: nimirum, humiditate ni-*

IV. *Luscinia montana.* *Vlys Aldro lib. 28. p. 775.*

In lib. 9. Gal. de simpl medic. qual. c. de Bile.

mia vocis instrumenta, velut relaxante, vt contenta, arguta, atque canora voce esse nequeant. Quid audiuimus hodie? *Exurgens Maria abijt in Montana.* Ita decuit *Lusciniam montanam*, quæ paludes spurcæ vitiositatis non incolebat, quæ in planis virtutis plebeiæ non morabatur, quæ valles vilium cogitationum deserebat: quæ ad summa virtutum heroicarum moliebatur, quæ in altissimis contemplationum diuinarum nidum collocabat: quę in vertice montis Perfectionis consistebat. Hinc vox illa dulcis, & omni suauior harmonia mortali; *Magnificat anima mea Dominum.*

V. Blasphemantium voce. O quam hæc diuersa ab illorum concentu-ne, an latratu

tratu, grunnitu, ruditu, qui quamuis Lusciniæ pulli esse velint, deberent sane, nomine Christiani, titulo etiam nõnulli Mariani, mugire videntur aut crocire, *Blasphemet anima mea Dominum.* Quid enim aliud, DEVS immortalis! illos, quasi tartareo garritu hinnituue eructare, dicas, qui sermonis, quamuis breuissimi incisa iuramentis, per DEVM, CHRISTVM, crucẽ, sacramenta, fidem, animam, distinguunt? qui orationis falsissimæ periodos omnes, sacramentorũ profanatione cõcludunt: qui apprecationes quotidianas, cacodæmonum nominatione funestant: qui diras in caput, tum suum, tum aliorum, aduocant: qui execra-

tionibus diabolicis inferno se deuouent.

VI. *Opere cantandum.*

Nō vos sic, cælestis cultores & imitatores Lusciniæ, quib. cantandū cotidie, non verbis magis, quam opere. *Magnificat anima mea Dominum.* Quod hunc sensum habet. Alij, vel lingua, vel manu, vel flatu aures delicatas permulceant, seu numerosa foratu præcentoriam, artificiose, animando tibiam: seu delicato fidium attactu sonoram reddendo testudinem: seu concinno manuum pulsu concutiendo sistrum: seu inflando buccinam, seu crispando citharam, sambucam, panduram, barbiton, naulia: seu motitando cymbalum, pulsando tympanum, pre-

men-

mendo Organum: vnicus mihi est cantus, omnium instar vocum, neruorum, tibiarum: *Magnificare DEVM animā*: hæc musica DEO grata, quam animæ & cordis efficiunt voculæ, accedente lingua, vt cithara. Magnificauerat Mariam DEVS, quia magnam fecerat: Magnificat Maria DEVM, quia Magnum prædicat.

Et Tu DEVM magnifica, qui Magnificantis Psaltriæ te admiratorem, & discipulum venditas. *Magnificas DEVM* (inquit Theophylactus) *si digne iuxta DEVM ambulas, vocatus Christianus, non attenuans nomen & dignitatem Christi, faciendo, quod non oportet: sed magnificans o-* VII. *Quis dicatur DEVM magnificare* Theo, Luc. 1.

perando magna cœlestiaque. Magnificas DEVM, vt commentatur Origenes, si animam, quæ Dei est imago, magnam, fide, temperantia, castimonia, modestia, demissione, caritate, aliisque virtutibus feceris: quemadmodum is Regem dicitur magnificare qui Regis effigiem, scitissimis coloribus effingit. Magnificas DEVM, vt ego interpretor, si non ore tantum, ad quod teneris, qua clericus; sed & vita, ad quod obligaris, qua Christianus: sed & solidis virtutibus, ad quod astringeris, qua Marianus, Numen diuinum laudaueris. Hæc delectat tenerrimas DEI aures Musica.

Quam nunquam delicate pro-

proferes nisi cum Luscinia No- *Deserenda Sordida.*
stra montensi, exurgens abie-
ris in montana: hoc est, vt sim-
plicissime dicam, & sine amba-
gibus, nisi è sordida voluptatis
palude emerseris; nisi lasciuiē-
tis vitulæ, carnis tuæ cloacam
deserueris; nisi luxuriantis do-
minæ, sensualitatis, ceu mere-
triculæ, consortium execratus
fueris: nisi libidinis omnes oc-
casiones, non interdiu minus,
quam noctu ablegaris, ac fuge-
ris. Audi, audi, quod me dice-
re pudor vetaret, aut religio,
vel ordinis sacrati reuerentia:
est autem sapientissimi Patris
Augustini pronūciatum. *Plus* *Citat Petrus Moralez in c. 1. Matth. lib. 3. Tract 4. Num. 22*
placet Deo latratus canum, mugi-
tus boum, grunnitus porcorum,
quam cantus clericorum luxuriā-
tium. Nihil addo; ruminent,

quibus cor palpitat, vel aures tinniunt, nec mirentur, quod plerasq; Ecclesias populus nõ frequentet: grunnitus homines non allicit.

IX. *Bonorum Sodalium officium.* Vos hæc non spectant (castissimi sodales) in neminem vestrûm faba in mea officina cuditur, in neminem è mea pharetra iacitur: bono animo: serena fronte: non reliquistis tantum lutulentum, carneæ voluptatis voraginem: sed vt generosæ Lusciniæ, ad altissimum Christianæ virtutis culmen infatigabili operum studiosorum, velut alarum remigio, conatu, ausuque nunquam interrumpendo, contẽditis: digni omni cõmendatione, tantum (quæso vos) quod magna vestri nominis gloria

gloria actitatis, non dimittite: docete etiam alios, non tã verbo, quam exemplo, DEVM nõ lingua solum, sed vita æque tota laudandum: monete, quod docet Augustinus: *Cum laudatis DEVM, toti laudate, cantet vox, cantet vita, cantent facta, DEVM toti laudate.* Quemadmodum dulcem illam musicam paulo ante excitatus strepitus: sic quas ore ꝓferimus laudes, vita impia perturbat. Noli bonæ cantilenæ tuæ, clamat idem S. Pater, obstrepere morib. malis. Sicut Luscinia dulciter canẽte, inquit aliꝰ molestꝰ est crocitãs coruus: ita lingua dulciter Deũ laudante molesti sunt instar corui crocitantis, atri mores. Addo ego, sicut Luscinia non cantat, quamuis

Aug. in Ps. 146.

uis roſtellum moueat, ſi quod intus eſt, vocem non efformet, ita non cantat DEO, orãs, licet labia moueat, niſi cor

Iſid. lib. 3. de ſum. bono, cap. 8. deuotionẽ moduletur. Eleganter Iſidorus: *Quid prodeſt ſtrepitus labiorum, vbi cor eſt mutum? ſicut enim vox, ſine modulatione, eſt vox porcorum: ſic oratio ſine deuotione, eſt quaſi mugitus boum.*

X. Luſcinia cũ feſtinatione canit.

Sed quid his diutius immoramur inconditis pecudum boatibus? ad ſe cæleſtis me rapit LVSCINIA, quam dum audio, abiiſſe in montana, cum FESTINATIONE, in mentem venit, quod habet Auctor, de Natura rerum: Canere Luſci-

Vlyſſ. Aldr. Ornithol. lib. 28. pag. 780. niam ſumma cum feſtinatione. Quæ ſint cauſæ feſtinatæ cantionis in Luſcinia, explorent

rer t Phyſici. Fortaſſe metuit nc cantill. n li tempus præter-eat. Fortaſſe properat, ne moroſa, minuſque grata ſit modulatio. Fortaſſe, quod citiſſime aures demulcere exoptet.

At cur feſtinauit MARIA? Dicat Ambroſius: *Feſtinauit Virgo, ne extra domum diu in publico moraretur. Diſcite Virgines*, & vos, Adoleſcentes, *non demorari in plateis, non inutiles in publico miſcere ſermones.* Dicat iterum Ambroſius. *Feſtinauit præ gaudio, quo Virginis cor in* DEVM *exultabat.* Dicat tertio Ambroſius: *Plena DEO Virgo, quo niſi cum feſtinatione ad ſuperiora contenderet?* Neſcit tarda molimina Spiritus Sancti gra-

Ambroſ. in Luc. Caret. Lyran.

tia. Dicat Origenes: *Quia Christus, qui in vtero erat Virginis, vt Ioannem sanctificaret, & à peccato originali expiaret, festinabat.* Cantet igitur & nostra Luscinia cum festinatione.

Luscinia nulla vox peculiaris. Sed quænam illa vox? quis tonus? Lusciniæ nullam esse vocem peculiarem tradunt Naturæ scrutatores, siquidem vocum omnia edit discrimina, quod innuit Hecuba apud Euripidem, hortans Polyxenam, vt emittat omnes voces quemadmodum Luscinia: *Eurip. Hecuba Act. 2. Vlys. Aldr. Ornith. lib. 18.*

Σὺ δ' εἴ τι μείζω δύναμιν ἢ μήτηρ ἔχεις
Σπούδαζε. πάσας εἷς τ' Ἀηδόνος στόμα
Φθογγὰς ἱεῖσα, μὴ στερηθεῖναι βιόυ.

Tu vero si quid plus quam mater valeas,

Anni-

Annitere omnes seu os Luſcinia,
Voces emittens, ne vita orberis tua.
Tu Philomela potes vocum diſcrimina mille.
Mille potes varios ore referre modos.

Et Strozius Poëta. *Mille licet dulces variet Philomela querelas.* Nec male Thomas Radinus, auium voces recēſens in Acolaſt. lib. 1. Philomelam inquit, mille vocum diſcrimina contexere; ſingularium autem auium voces enumerās: innuit, ceteris vnam datam, Luſciniç innumeras.

Ita ſe res habet in diuina LVSCINIA: omni vocum diuerſitate diuinas laudes concinit: Voce Angelica, voce hominum

minum, voce rerum ratione, ſenſuque carentium: ad has enim reuocantur omnes aliæ. Vox Angelorum eſt interna, Intelligentiæ: vox hominum, eſt præterea externa loquelæ: vox rerum inanimatarū præclara cuiuſque ſpecies. Hæc illi voce DEO laudes occinunt. *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate, & ſuperexaltate eum in ſecula.* Benedicunt ſuauiter cantando creaturę rationales, quia adfectu verbiſque precantur bene: benedicunt irrationabiles, quia ſua ſpecie ad benedicendum, laudeſque DEO concinendas prouocant. Sed auicularum nulla hactenus expreſſius, dulciuſque, quam noſtra Luſcinia, hæc vocum diſcri-

mina.

mina expressit. At quibus tonis & modulis? æque omnibus.

Tu Philomela potes vocum discrimina mille,
Mille potes varios ore referre modos.

Aures aduertite Musici: Cantat Luscinia: obseruabitis ni surdastri sitis, quod Musicorum alicubi vitium, varietatem tonorum omnium. Nunc non interquiescit, sed continuo spiritu in longum, æquabiliter, sine mutatione cantillat: iam minutius, & concisius canit: nunc intorquet, & quasi crispat vocem: nunc extendit, iam reuocat: alias longos concinit versus, quasi heroicos: alias breues, vt sapphicos, interdum breuissimos,

XII. *Musica Mariana. Ludou. Viu. Exerc. ling. Lat. Dial. Vest.*

ſimos, vt Adonicos. Nunc voce bene craſſa pinguique intonat: Baſſum diceres! mox ſubtiliſſima tinnit: Diſcantiſtam barbare nominant: iam temperate modulatur, Tenorem audis; modo variat, Altiſtam imitatur: Sed ô! terreſtris

Philomela balba repelleris,
Hîc de cantu ſi te iactaueris.

Audi cæleſtem LVSCINIAM *Magnificat anima mea Dominũ.* Quis hic, quis eſt, qui meas aures complet tantus, & tam dulcis ſonus? Hic eſt ille, qui interuallis coniunctus imparibus, ſed tamen pro rata portione diſtinctis, vocis non arte ruditer factæ, non affectatione

pueri-

pueriliter fractæ, non gutturis ludibrio futiliter effictæ, non inſtrumentis male ſonantibus expreſſæ, ſed diuinitus ſuauiter efformatæ inflexione efficitur.

Quæ acuta cum grauibus, ſuauia cum aſperis, dura cum mollibus, macra cum pinguibus, cæca cum perſpicuis, vinculata cum liberis, tarda cum volaticis temperans, varios æqualiter concentus exprimit. Altos vt in ſublimi ſufficiant: claros, vt aures impleant: ſuaues, vt auditum mulceant: duros, vt animos terreant: acutos, vt ima penetrent: cæcos: vt libere feriant: ſubtiles, vt acute tinniant: craſſos, vt valge lallent: mediocres vt ſuauiter ꝑſonent: lenes, vt tẽperate ſuc

cinant:

cinant: coloratas, vt blande recreent; interruptos, vt tremule perstrepant; bassas, vt fusce mugiant.

Tu Philomela potes vocum discrimina mille,
Mille potes varios ore referre tonos.

Examinemus Musice, sed non vt corrigamus, *Magnificat* reperiemus in eo, si diuinioris Musicæ, quam sit illa, quæ passim aures non sæpius mulcet, quam vulnerat, gustum aliquem habeamus, Harmoniã quandam, mirabili cum artificio, & ratione compositam, ac summa temperatam dulcedine & varietate. In eo namque exaudit sublime Diuinitatis. *Exultauit Spiritus meus in DEO salutari meo.* Vile Humanitatis, ac sub-

ac ſubinde imum, baſſumve Demiſſionis: *Reſpexit humilitatẽ ancillæ ſuæ:* Altũ potentiæ: *Fecit mihi magna qui potens eſt:* Tenor Miſericordiæ. *Et Miſericordia eius à progenie in progenies timentib. eum:* Graue vindicatricis Iuſtitiæ: *Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui: depoſuit potentes de ſede:* Acutum exultationis. *Exultauit ſpiritus meus in DEO ſalutari meo.* Suaue refocillationis: *Eſurientes repleuit bonis:* Aſperum reprobationis: *Diuites dimiſit inanes:* Plenúm fidelitatis: *Suſcepit Iſrael puerum ſuum.* Artificioſum Reuelationis: *Sicut locutus eſt* conſonans vtriuſque Inſtrumenti. *Abraham & Semini eius.* ô dulcis, ô omnium tonorum Muſica!

Tu

Tu Philomela potes vocum di-
ſcrimina mille,
Mille potes varios ore referre
tonos.

XIII. *Philomela Sibilus.* Sed nõ omnibus eſt æque dulcis ac grata hæc Muſica. Accidit DEIparæ cantanti, quod Luſciniæ: quæ ſibilare quibuſdam videtur: quod proprium eſt Draconum. Certe *Lib. 1. Epiſ.* Sidonius Apollinaris ruris ſui delitias enarrans, perquam volupe, in eo eſſe ait, auribus inſonare cicadas, meridie cõcrepantes, ranas, crepuſculo incũbente, blacterantes: Cianos, atq; Anſeres concubia nocte clangentes: intempeſta Gallos gallinaceos concinentes, oſcines coruos voce triplicata puniceam ſurgentis Auroræ faciem conſalutantes, dilucu-

luculo autem Philomelam inter frutices sibilantẽ. Et Theocritus alicubi vocem Lusciniȩ sibilum vocat. Non me fugit, existimare aliquos, sibilum quendam esse suauissimum & iucundissimum, qualis est ille venti sonitus leniter flantis, & inter frondes suauiter admurmurantis meridiationem suadẽs, dum

Theocr. Eidil. 6. τρύζεσκεν ἀκάνθαις Stridebit in spinis.

Hinc gutturillo Luscinilla cantillans,
Hinc murmurante ripa garriẽs sinu,
Gratæ quietis plena dona ministrant.

At enim, sibilare videntur Lusciniæ, vt Dracones, ijs, quibus aures sunt verminosæ, ideoque corruptus auditus. Vermes sunt crimina, quibus scatent

tent improborum aures, hinc brutus bestialisq; auditus. An non sibilus est arroganti: *Dispersit superbos mente cordis sui?* An non sibilus præsumptuoso *Deposuit potentes de sede?* An non sibilus sordido Euclioni, *Diuites dimisit inanes?* Iisdem Luscinia nostra est stridula, quo pacto suam describit Cinesias apud Aristophanem, vt quidam legunt: quæ aliis est canora: nam stridor ingratus est, & asper sonus. Asperrimus est tibi sonus cantillantis Deiparæ: *Dispersit superbos*, bipedum superbissime. Ingratissimus tibi, est sonus modulantis Lusciniæ: *Deposuit de sede*, mortalium confidentissime, absurdissimus est tibi sonus concinentis Philomelæ: *Diui-*

Athenæus Αἰδὼν λιγυμύθος.

tes

tes dimisit inanes, auarorum sor didissime.

Sed ô magna & incredibilis vis veritatis! quorum aures tinniunt ad hos Lusciniæ cælestis modulos, coguntur ad illius commendationem. Capitalissimi enim Virginis Deiparæ inimici, arrogantia, confidentiaque plenissimi, licet inuiti, diuinos illius concentus contra se fulminatos, audiant, non possunt tamen non laudare, quod audiunt. Sane Caluinus, arrogantiæ mancipium, *Insigne* & *memorabile* S. Virginis *Canticum* indigitat: ex quo clare constet, quanta Spiritus gratia excelluerit, quodque probe fuerit in Scripturæ doctrina exercitata, sicut Beza quo- *Apunis li cap.*

que eiusdem furfuris homo, testatur. Brentius autem, *carmen triumphale*, & *thesaurum cælestem vocat*: Bullingerus vero, *Hymnum plane diuinum*, & *excellentissimum*. Lutherus Hæresiarcha nobilis, *Carmen sanctissimum, Virgineum Epithalamium, diuinum Encomium*: Wellerus inter sectarios nominatus, *Dulcissimum* atque *eruditissimum canticum*. Hæc ab inimicis sunt elogia, quid nunc attinet adiungere amicorum, quæ sunt sine numero. Vnum ego post omnes pango, Virgini, capitalibus litteris:

CANORVM MELOS
CÆLESTIS LVSCINIÆ.

O dulcis LVSCINIA! Tibi seculorum omnium suffragio cedit

cedit ante legem antiquitas: Tibi, ob incomparabilem cãtandi peritiam, honorem habet, & æternum est habitura sera posteritas. Fabulis quid vltra locus? Illæ Iouis filiæ ora compescant, ne Te canente, obstrepere deinceps videantur. Sirenes facessant, vel in Sphærarum abditis delitescant, quorum tu Harmoniam superas. Sibilans in vallibus Echo, silentio inuidiam suam tegat, ne quicquam Te referre conabitur. O! qui Te audiret assidue, quam ille ad cantum animaretur, quam cito, ex crocitante coruo, in trinsantem mutaretur Lusciniam!

Fallor! quid Ioannem conuertit *Ioan. Bapt. Luscinia.*

uertit extemplo in cantillantem Philomelam? haud aliud quam diuinæ vox Luſciniæ, Res mira, delicata conceptio: & veſtris digna auribus: auſcultate. Ioannes totus, quantus, quantus eſt LVSCINIA. An ambigitis? Inſtituatur nunc ad Ioannem Legatio, vt olim à Ieroſolymitis: mittantur ſacerdotes, & Leuitæ: quæratur: Tu quis es? confitebitur, & non negabit: *Ego vox clamantis in deſerto.* Quid hoc aliud, quam, *Ego Luſcinia?* Sic enim hanc volucrem exactius definiueris, quam hominem Plato, *Animal implume bipes.* Quid enim eſt Luſcinia? dicat Lacon, qui cum illam plumis denudaſſet, & nihil pene carnium repe-

Ioan. 1.

Plutarch. Apoph. Lacon.

reperiret, exclamauit: *Vox es, præterea nihil*. Luſcinia ergo Ioannes. Sed à qua animatus, & ad cantum eruditus?

Admirabatur Eliſabeth, ad vocem Deiparæ, Ioannem exultare in vtero: id eſt, ratione diuinitus accelerata, cantare Meſſiæ aduentanti epinicium. Quid miraris Elizabetha? Luſciniam habes in ventre: an tibi nunquam auditum, Luſciniam non tam fotu corporis, quam cantu vocis viuificare pullos? Pullus Mariæ, eſt Ioannes: Luſcinia Luſciniæ. Cantat illa, hæc animatur, & ad concinendum, paribusque reſpondendum modulis impellitur. Exultauit infans præ gaudio in vtero.

Animatur ad Campũ à Deipara.

ro. Quod dixi de viuificatione per cantum, non est meum figmentum: auctores eius effati nominare possum, Ornithologos.

Vlyss. Aldr. lib. 18. §. in cubatus.

Dixerunt aliqui Platonicorum, inquit Albertus, oua Lusciniæ, non posse sine cantu viuificari. Id quod verum esse videtur. Nam spiritus lenis, & calor eleuans sanguinem in talibus animalibus, mouet in eis cantus iucunditatem, & desiderium gaudij. Talis vero parentum calor, incubando magis vitalis est, quam alius. Maioris est auctoritatis Ambros. cuius ista feruntur (locum in S. D. voluminibus non reperi) *Luscinia peruigil custos cum oua sinu corporis & gremio fouet insomnem longæ noctis laborem cantile-*

tilenæ suauitate solatur: quo possit non minus dulcibus modulis (vt mihi videtur) quam fotu corporis oua animare.

Hęc si Musicę tuę virtus, Diuina Luscinia: *Sonet vox tuã ĩ aurib. tuis: vox n. tua dulcis, & viuificatrix.* An hæc fortasse caussa magni illius discriminis, ꝙ animaduertere licet in numerosis adolescẽtiũ, & virorũ Sodalitijs. In quib. sũt nõnulli, q̃uis ætate minores, imo, à lacte recentes, & vberib. vix allaregnari, dulces animulæ, angelici pusiones, qui de reb. diuinis quarũ nõdũ experimẽtũ cęperũt, loquunt̃ libẽtissime, & suauissime, horrẽt vel turpiculam vocẽ, fescẽnina verba detestãt̃ ad p̃textatas cãtiũculas aures sepiũt: Nimirũ Luscinię cęlestis *Quidam suauißime de animis disserunt.*

cuius cãtu delectantur, viuificatrice melodia sunt animati & in Musica instructi.

Contra faciunt alij.

At vere, alij, licet annis maturi, & graues, in sodalitate Deiparæ longo tẽpore versati, fortasse, & sacris initiati, an & clerici? cum de animæ salute, de Sacramentorum frequentia, de castitatis cultu, de temperantia, de pietate, de Morte, de Iudicijs diuinis, de pænis æternis, est differẽdum, vel muti sunt, vt pisces, vel tam suauiter personant, vt cadaueribus insidentes corui, aut coaxãtes in paludibus ranæ. Quæ causa non animantur cantu cęlestis Lusciniæ.

Luxuriantes Clerici.

Iuuat fortasse magis audire sibilantem in tenebris Floram aduocantem sub crepusculo Cani-

Canidiam : lenocinantem nocte, & interdiu Agapitam, focariam, Lydiam, Lepidinam, Glycerium: haurire summa auiditate voces blandientis, nam clarissime exprimendum est, Meretriculæ: cuius quidem, *Fauus distillans sunt labia*, mi Adolescens, *& nitidius oleo guttur: sed nouissima amara quasi absynthium, & acuta, quasi gladius biceps. Pedes eius descendunt in mortem, & ad inferos gressus illius penetrant.* *Prou. v. 3.*

An Te animaret ad cantum, Diuina Luscinia, Sodalitatis dedecus, Cleri probrum, labes reip. cuius cancionaue personat cotidie, non secus, quam lupanar, amatorijs, & fors blasphemis cãtiunculis? *Musica turpis vano profana proscribenda.*

culis: cuius aures sunt surdæ ad cęlestem templorum Symphoniam, cui saltatricularum madrigalia magis, quam Virginis canticum Deiparæ perplacet? cui sordet omnis Musica, si in Ecclesiæ odæo, non concinatur, vt in nuptiali cænaculo: si instrumenta non concrepent, vt ad choreas magis, & saltitantes capreas, aut petulcos Menalcas, & Tityros commouẽdos, quam ad pios affectus concitandos, & lacrymas ciendas sint idonea: (Quod fieri aliquando dolemus, & introduci, Magistratus Ecclesiastici dissimulatione, & Musicorum quorundam, ad omnem profanitatem, vanitatemque pruritu, ægerrime ferimus, sed emen-

mendare non possumus, vt plurima in hoc genere alia: emendent illi: tum hæc, tum reliqua scãdalosa, penes quos imperium.

Sodales bonæ famæ.

Hęc liberius, confidentiusque proferimus, quod existimemus, neminem in hoc amplissimo consessu, neminem in illustri Ecclesiasticorũ Moguntinẽsium cætu; neminem in Marianæ sodalitatis albo reperiri, qui tã fœda dedecorosi criminis infamia laboret. Sed Christiani Oratoris est, quæ contingunt alibi, vel euenire possent, in innocentum corona ad cautelam, non sine affectus demonstratione, ac si peracta essent, vel fierent, exprimere.

Vos non pungit, nec punget vnquam (Dilecta mihi capita) isthæc iustissimæ castigationis acerbitas, si vt cæpistis, Lusciniæ cælesti auscultetis, illique morem geratis, ac frequenter cantandi modos, quos imitemini, accipiatis. Nam & hoc proprium est Lusciniæ, quod scholas habeat pro pullis erudiendis; qui tunc quidem suauissime occinere dicuntur, cum à matre instructæ fuerint.

Luscinia pullos cantare docet.

Auctor Plinius. Qui, *Nequis dubitet*, inquit, *artis esse* (quod adeo concinne voculam formet Luscinia) *plures singulis sunt cantus, nec ijdem omnibus, sed sui cuique. Certant inter se, palamque animosa contentio. Victa, morte finit sæpe vitam,*

Plinius lib. 10. cap. 29.

vitam, ſpiritu prius deficiente, quam cantu. Meditantur aliæ iuniores, verſuſque, quos imitentur, accipiunt. Audit diſcipula intentione magna, & reddit, vicibuſque reticent. Intelligitur emendatæ correctio, & in docente quædam reprehenſio. Et poſt non nulla: *Viſum iam ſæpe, iuſſas canere cœpiſſe, & cum ſymphonia alternaſſe.*

Optime cantabitis in poſterum, ô dulces *Luſciniæ* diuinæ pulli! ſi Matris veſtræ ludum Muſicum frequentius, quam, vel Bacchicum potatorum, vel venereum nepotulorum, vel Martium gladiatorũ, vel Mercurialẽ furunculorum, vel Ganimedæũ, Cynædorũ vel Iunonium ſaltatricularũ, viſitaueritis. Si à matre ve- *A Maria diſcenda harmonia.*

ſtra, Luſcinia, quos exprimatis verſus: non à ſalaciſſimis paſſerculis, laſciuia, luxuria, ſẽſualitate acceperitis. Si tanquam obſequentes diſcipuli, illius prælectionẽ intentione magna audieritis reddideritis, vicibuſq; reticueritis.

Locus Luſciniæ. At vbinã hui⁹, quam adeo depdicas *Luſciniæ* Gymnaſiũ? Non omnib. in locis agit *Luſcinia*. Alibi magis, alibi minus frequentes viſuntur: alicubi nunquã cõparent. Athenis magnã fuiſſe copiam phibent. Vnde Poetę fortaſſe, Philomelã fuiſſe Atticã confinxerunt, & dulciter canere, quæ ſit Attica. Hoc tẽpore, prope Arduennã ſyluam *Luſcinias* abundare teſtatur Bellonius. Contra vero, Hibernia, vt refert Io. Boter⁹

Bello. lib. de Aui 7. c. 1.

Luſci-

Lusciniis prorsus caret. Quod de Hollãdia, delitiosissima alioqui orbis nostri portiuncula, ab aliquibus spargitur: imo, aliunde in illam transportatæ mori vulgo creduntur: quod se accepisse ab Hollando quodam, fide dignissimo, quales rari, vt aliqui existimant, scribit Vlysses Aldrouandus, in sua Ornithologia. Lib, 28. Qui addit, Daulin oppidum esse, non procul à Delphis, vbi *Lusciniam*, non parere scriptores memoriæ prodiderunt: quare ibi violata à Thereo fingitur: Delphos autem esse quoque Hollandiæ emporium, quasi *Luscinia*, quæ Delphos Græcorum fugiat, prope Batauorum quoq; eiusdem nominis

vrbem

vrbem morari nolit. Sed & in iis locis, vbi haut ſunt raræ illæ ipſæ volucres, non paſſim, ac ſine diſcrimine, degunt: alia enim aliis, commorandi gratia præferunt.

Quibus in locis non cõmoretur Luſcinia cæleſtis.

Porro, quamuis nulla in orbe habitato ſit regio, in qua non poſſit aliquis eſſe ad ludum Marianum locus, in quo pullos ſuos erudiat cæleſtis *Luſcinia*: tamen certum eſt, nullum eſſe in eo loco illi Gymnaſium, vbi vel ipſa, vel eius violatur Filius, CHRISTVS & MARIA. Quos ſacrilege violant non tantum hæretici, qui vtrique falſa affingendo, ſpargendoque, illudunt: ſed & mali Chriſtiani, blaſphemando, iurando, deuouendo, & ſanctiſſima nomina,

dum

dum iis abutuntur, profanando. Non est Gymnasium Mariæ *Lusciniæ*, Taberna vinaria, vbi dies noctibus potando copulantur. Non Caupona, vbi dum temulentorum vocibus omnia perstrepant, nepotuli nostri pergræcantur. Non illud pratum, in quo lasciuientium luxuria dominatur. Non illud cubile, in quo fœdissimorum criminum consilia concipiuntur: & fors, ipsis peiora consiliis, horrenda, ac infanda, per ludum iocumque perpetrantur. Non illa clerici domus, in qua etiamnum Agar & Ismael, infestissimi *Lusciniæ* insidiatores, fouentur: Non illud Magnatum triclinium, in quo, inter pocula, de subditorum vexatione, de rustico-

Taberna.

Caupona.

Pratum.

Cubile.

Domus Clerici.

sticorũ deprædatione, de pau
perum oppressione, de pupil-
lorum, ac viduarum cõcussio-
ne agitur. Nõ illa curia, in qua
patriæ salus, à reip. optimatib.
Triclinium Curia. timidissimis hominib. prodi-
tur. Nõ illud Tribunal, in quo
Tribunal. Capitulum. pericitationem, plurima of-
ferentib. tanquam merx vilis-
sima, iustitia venditur. Non il-
lud capitulũ, in quo, per simo-
niam, & vetitas artes alias, be-
neficia ecclesiastica conferun
tur, resignantur, in vnius ca-
put, tanquam lapides, in Mer-
curii aceruũ, coniiciuntur: in-
terim alii pauperculi, debita su
stentatione priuantur, templa
clericis, altaria administris, res
publica Ecclesiastica dignis
præsidib. Ecclesia amictus va-
rietate destituitur.

Re-

Regio ergo, vbi cælestis cõmoratur Luſcinia, eſt quidem Eccleſia Catholica: ſed eius peculiare Gymnaſium, eſt virorũ & adoleſcentum, ſiue illi Eccleſiaſtici ſint, ſiue alterius ordinis, vere ſobriorum, caſtorum, modeſtorũ, & omni virtutum genere decoratorum cętus. Domeſtica eius eſt ſchola, Mariana ſodalitas, quã qui frequentant, quid mirum ſi reliquis cantent ſuauius, nam materna erudiuntur voce, Luſciniæ à Luſcinia. Familiaris eius eſt ludus, penetrale cordis, interius ſanctiuſque animæ cubile, intimum pectoris, ad DEVM anhelantis, conclaue: Sanctum ſanctorum, quod ſi non à ſordibus tantum lethalium criminum, quæ ſcopa indi-

Proprium Deiparæ Gymnaſium.

Congregatio bonorum.

Sodalitas B. V.

Cor purum.

indigent confeſſionis, poſt liberalem contritionis iteratæ aſperginem, verum à puluiſculis leuium culparum, quos aſpirationum diuinarum flatus diſpellit, ſit perpurgatũ, in eo cœleſtis N. Luſcinia, tanquam in horto amænitatibus abundantiſſimo, nidulatur, cantillat, & ſuauiſſima vocis inimitabilis harmonia ad ſuccinendum & artificioſiſſimum illud, ac ſupra profanorum omnium carmina numeroſiſſimum melos, MAGNIFICAT ANIMA MEA DOMINVM, internis ſed dulciſſimis modulis iterandum inuitat, & condocefaciendo impellit. ô MARIA! ô Diuina Luſcinia! ad hunc hortum conuola, quem Sodales tui hodierno die, in

Tui

Tui gratiam, ſingulari excoluerunt, per ſacramentorum vſurpationem, induſtria. Hic domeſticam ſcholam erige, in hoc ludo familiares tuos ad ſymphoniæ cæleſtis modulos frequentandos inſtrue. Hic ſonet vox tua in auribus meis: Vox enim tua dulcis. MATER SVAVISSIMA ORA PRO NOBIS.

ORA-

ORATIO TERTIA.

Symbolum III.

CYGNVS.

MARIA ASSVMPTA.

Exaltata est sancta DEI Genetrix super choros Angelorum ad cœlestia regna.
Virgo cādidissima ora pro nobis.

1. *Imago Assumptæ DEIparæ.*

IVcundum spectaculū sed rusticationis Theologicæ, cui dedicatæ sunt feriæ caniculares, videre in amplissimo huius Aulæ Marianæ spatio, candidissimū Cygnū, ex imo pauimento, velut, ex herbosa Caystri ripa, vel stagnis Eridani, paulatim sese, alarū leniter motitantiū remigio eleuantē: tū quina, septenaue cir-

circũgyratione, ad oculorum lenociniũ, peracta, in aeris inanitate, absq; nido absq; arbore, absq; saxo, aut altero fulcimine, hærere libratũ, seq; omnib. dare contẽplandũ: tandemq; impetu repentino, ocissime, siderib. velociorem & temporib. vniuersum, eiusq; partes omnes momento peruadentẽ, in cælum euolare, ibiq; altissimo in loco, vt sibi debito, suauius, quam ad algam Mintii, vel Meandri prata canentem, etiam post fata delitiari.

Hoc esse migrantis ad superos DOMINÆ N. symbolicum schema existimabat nuperus quidã cõtẽplator, vir hieroglyphicis amænitatib. mirifice addict⁹, & delectari solit⁹. Nec mihi visa est hęc imago aliena, ad II. *Cygnus in Cælum se attollens.*

Diuæ

Diuæ Matris arcana, tum in fatali lectulo cubantis, tum amoris somno consopitæ, tum deniq; animo ac corpore, ad cœli regiam sese recipientis, repræsentanda: maxime, cum mētem referrem ad mysticas illas auiculas, quas iam olim in Horto Mariano, vt festiuitatem DEIPARÆ spirantes icones vidisse me recordabar. Vobis, vt idem Virginis ASSVMPTÆ symbolum, non videatur ineptum, referam ex fide, & simpliciter, vt soleo, rationes, quas amicus ille in hac formāda imagine se habuisse adseuerabat. Tu Virgo faue.

Cādidior Cygnis, viridi quos Mintius alga,
Quos Mæander alit, quos humida prata Caystri.

Prin-

Principio, magna est cele-britati hodiernę cum *Cygno* ad finitas. Festū celebramus felicissimæ dormitionis, siue Mortis MARIÆ Deiparę. In quo non conuenimus cū antiquis quibusdā hæreticis. Nam collydiriani, qui eam tanquā alterum DEVM colebant, ideoque sacrificij latria venerabātur, nō obiisse diē suum, sed immortalē fuisse, adfirmabant. Contra quos disputat Epiphanius hæresi 78. Qui tamen tantā sibi videri virginis excellentiam testatur, vt vehemēter ambigat, an singulari prærogatiua, ipsa vna, quæ vitam ex se genuit, mortis tyrannidem experta sit

II. *Festū Dormitionis B. V.*

Nō definio hoc omnino, inquit, *& non dico quod immortalis mā-sit: excessit enim scriptura mentem*

Epiph. lib. hæres. 78.

humanam, & in suspenso reliquit, propter vas pretiosum, atque excellentissimum, vt ne quis ad suspicionem veniat carnalium de ipsa rerum. Siue igitur mortua est, non nouimus, siue sepulta est: neque enim datur inuenire mortem ipsius. Alicubi enim Simeon dicit de ipsa: Tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex corde multorum cogitationes. Alicubi vero Apocalypsis Ioannis dicit: quod Draco festinauit ad mulierem quæ genuit masculum, & datæ sunt ipsi alæ aquilæ, & adsumpta est in desertum, vt ne ipsam acciperet Draco. Fortasse potest de ipsa accipi, & impleri.

IV. *Maria vere mortua.* Verum, cõsentiens est antiquorum Patrum opinio, B. Virginem mortuam fuisse. Quod scri-

ſcribit Io. Damaſcen. in ſermo nib. de dormitione Sanctæ Dominæ N. Deiparæ: Andreas Epiſcop. Cretẽſis apud Sim. Metaphraſt ẽ die 15. Auguſti. Euodius Epiſcopus Antiochenus, ſecundus poſt S. Petrum apud Nicephorũ lib. 11. hiſtoriarum c. 3. Iuuenalis Epiſcop. Ieroſolymitanus apud eundẽ Nicephorũ c. 23. Epiphanius Preſb. Conſt. in vita Deiparæ: Simeõ Metaphraſtes in vita eiuſdem Dei Genitricis. Sicq; habent Martyrologia Latinorũ, Bedę, Vſuardi, Adonis, & Romanũ ad diẽ 15. Auguſti, ſic etiã Nice. lib. 21. Et acceperunt id poſteriores ex Dionyſio Areopagita, cuius teſtimoniũ habet Nicep. li. 11. c. 2. Quod ſi mortua eſt vitæ Mater, feliciſſime mor

tuam esse, nemo potest ambigere.

V. *Cygnus Symbolum feliciter morientis.*

Huius a. sacrum *symbolũ* est Cygn⁹ qui pacatissime, suauissimeque morientem, hieroglyphice exprimit. Est n. constãs illa plurimorum persuasio, *Cygnum* fati certum, extremo imminente die, pro gemitu, harmonicum concentum edere, carminibusq; amœnissimis, tũ præsagire obitum, tum mortem aduocare, atque aduenientem excipere.

An fortasse hæc caussa, cur olim apud Romanos, & Græcos: etiamnum vero, apud Italos & Germanos, frequens vsitatissimumque in nobiliss. familiis insigne stirpis fuerit, sitque *Cygnus*, vel in campo natitans, vel in galea collo tenus eminẽs?

minens? siquidem sic felices suorum exitus indicabunt.

Namque vbi fata vocant vdis ab-
iectus in herbis,
Ad vada Mæandri concinit Mart. lib. 13. 78.
albus olor.
Dulcia defecta modulatur carmi-
na lingua
Cantator Cygnus funeris ipse
sui.

Gemuit, cũ inter mortales vi- *Maria in vita Turtur.* uẽs ageret Virgo sanctissima, memor cõditionis humanæ, memor ærũnarũ, memor calamitosissimi status, in quẽ ex aluo materna, tãquã è cymbâ, fluctibus pene mersa, intempestatibus agitatum pelagus proijcimur: atque idcirco, quã diu vixit Turturem egit: *Pulchræ* Cant. 1. 10. *sunt genæ tuæ, sicut Turturis,* aiebat spõsus. Quam primum in

orbem venit, *vox Turturis audita est, in terra nostra.* Turtur gemit.

Nec gemere aeria cessauit Turtur ab vlmo.

Gemebat assidue se in hoc corpore peregrinari à Domino cuius solius desiderio flagrabat: quo solo cõtenta fuerat cõpare, cui se vni viro virginẽ castã, quod Turturis est, exhibuerat. Quã diu aberat à sponsi præsentia, tã diu, in eius amorẽ, ac desiderium anhelabat, illiusq; copiã sibi fieri optabat gemitib. inenarrabilib. gemebat in hoc incolatu de terrenis, & ad cœlestia suspirabat.

Hon. Rup. Phil. in Cãt.

Videre illã videor, tempore præsertim eo, quo in cælum receptus erat Filius, facie plerum

que

que, ob alterius vitæ desideriũ, pallidula, humentib. oculis, de fluẽte per genas lacrymarum, vt margaritarum, imbre: & audire frequentissime ingeminãtem: *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est. Quẽadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te DEVS. Sitiuit anima mea ad DEVM fortem, viuũ, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Fuerũt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie vbi est DEVS tuus. Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, & volabo?* Psal. 41.

At iam, in lectulo fatali ad emigrãdum è corpore composita, pallore genarum, in purpurã verso, euanescentib. lacri

mis,& flebilibus modulis in epinici... mutatis, vt CYGNVS, pro gemitu, suauissime cantillat: *Gaudete & congratulamini mihi. Iam hiems transiit, imber abijt, & recessit.*

VI. *Quæ Cygno cantadi in fine causa.* Sed quę *Cygno* huic cantillādi causa in decessu? An quia subtilior sanguis moribundi, cor *cygni* occupat? hinc lætitia, & huius index, risus, siue cantus. Ita commentantur aliqui An quia, quod è philosophis, nescio quibus, narrat Adagiographus, quoniam sub mortē, spiritus Cygnei per collum angustum, & procerum erumpere nituntur. Quod confirmat Vlyss. Aldrouandus, deprædicans in *Cygno* suspiciendam arteriæ asperæ structuram. Ea n. duplici reflexione, tubæ belli-

Chiliad. 1. cent. 1. 55.

Lib. 19. Ornith.

cæsi-

cæ figuram exactiſſime repræſentat, qua quālibet, tam acutorum quam grauium ſonorū varietatem modulantes tubicines effingere ſolent. Quid igitur mirum, volucrē, arteria vocali, ceu tuba, ad omne genus muſici concentus edendū appoſitiſſimo inſtrumento, à natura inſtructā, dulciſſimum melos, morti vicinam, edere? An potius, quod cōmemorat Plato in Phædone: iam iā moriturus *Cygnus* cantillat, maxime, & plurimum, quia lætus, quod ad DEVM, ſit, cui ſeruit, mox migraturus?

Id Plato de terreſtri *Cygno* poetice: id eſt, fabuloſe ſcribit. Ego idem de cœleſti *Cygno* noſtro Theologicè: id eſt, veriſſimè, enuncio. Cantabat

ſupremo vitæ tempore Virgo Mater, & cygnea modulatione ſignabat, antecedentis vitæ lugubrem calamitatum næniam. Nõ tam, quia cor omnibus delitiis adfluens, ſanguis rarior irrorabat, quamuis & hoc fieri potuit: non quia vitales eius animalesque ſpiritus, per ſuauiſſimas anhelationes euolare conabantur, licet & iſtud contigiſſe ſuſpicer: Sed quoniam præ gaudio inenarrabili, ſe non capiebat, nec continere intra corporis anguſtias valebat anima, quia mox mox intratura erat gaudia Domini, cui tam fideliter ſeruierat. Cantabat igitur ore, pectoreque anhelo, cygnea voce: *Lætata ſum in his quæ*

dicta sunt mihi, in domũ Domini ibimus. Iam iam se visuram putabat, imo sciebat, ad quæ aspirabat, anhelaratq; toto peregrinationis tempore, cælestis Ierosolymæ ampla palatia. Accinebat in antecessum, quasi iam in portis optatæ vrbis. I. Pontanus in Flor. Salutat. Patria Cal.

Dulcis Patria millies aueto:
Tandem tandem oculis te adepta lassis.
Regis mœnia, templa sancta Diuûm:
Dulcis Patria ter quaterque Salue.
Tu promissa piis es illa tellus
Melle, & lacte fluens, & ipsa tumet.
Cultior Paradisus, atque portus

Securissimus, vltimumque prorsus
Vota quod tetigisse nostra possunt
Tu desideriumque, amorque noster.

Te propter gemui, tuiq́s causa
Bella cotidiana perpetraui.

VII. *Imitandus Cygnus cantu finali.*

Dulcis Patria millies aueto.

Ita *Cygnus*, quē imitari oportet, qui eius cultum profitemur. Cātandū est & nobis, dū hinc migrabim⁹ Vt *Cygnis*, decedendum est nobis, non, vt coruis; cātantib. nō crocitātib. quomodo decessisse legimus, post Martinum, Franciscū Antonium, Gerardū Bernardi fratrē, tot innocētulos & eximios castissimæ virginis cultores, Sodales. Sed *Cygni*, cum Patrona, non erimus in morte: si

Tur-

Turtures cum eadem nõ fuerimus in vita. Non persuadeamus nobis nos cantaturos in exitu, nisi planxerimus in hoc incolatu: cælestia non concinemus, sub vitæ finem, nisi in vita ad cęlestia suspirauerimus. Quam ego metuo, ne multi etiam à nobis (non enim dissimulandum timide, quod cũ fructu proferri debet prudenter) vereor, inquam, ne qui esse deberent, in excessu suo, *Cygni*, quia Mariæ, verbo saltem, pulli, sint Sirenes, quia reapse voluptatis mancipia.

Sirenes, secundum fabulam, tres, in parte virgines fuerunt, in parte volucres, Acheloi fluminis, & Calliopes Musæ filiæ, harũ vna, voce; al- *Sirenes Semises. Virg. Æneid. 5.*

tera, tibijs, alia Lyra canebat: & primo, iuxta Pelorum, post, in Capreis insulis habitarunt. Quæ illectos suo cantu, in naufragia deducebãt. Secũdũ veritatem, Meretrices fuerunt, q̃ transeuntes, quoniam deducunt ad egestatem, his finguntur inferre naufragia.

Claudian.

Dulce malum pelago Siren, volucresque puellæ
Scyllæos inter fremitus, auidãque Charybdim
Musica saxa fretis habitabant: dulcia monstra.

Physicarum rerum Scriptores, Sirenem contendunt, esse animal, in alitum genere: inter quod, & *Cygnum*, hoc aiũt, esse discrimen, ex Aristotele in Problematis. Quod Siren in vita suauiter cantillet, sed mor-

mortem tristissimam, gemendo, obeat; contra, ac Cygnus: cuius discriminis, hanc assignant causam. Quia Cygnus, vt paulo ante insinuabam, optimo sanguine abundet eo tempore, qui tunc cordi laboranti subuenire contendat. Siren dum viuit, bonum omnem sanguinem dilapidet, deteriorem retineat, qui circa vitæ finem, ad cor accurrit, illud cingit, & obruit; hinc mæstitia, & gemitus.

VIII. *D. Virgo sanguinem suauiss. in vita congregat.*

Virgo-Mater vt *Cygnus*, dũ viuebat, heroicarum virtutum functionibus continuo occupata, cælestibus intenta cõtemplationibus, diuinis immersa, altissimarum rerum excessibus; quicquid de DEO, ac

ac virtutibus audiebat, vel meditabatur, in succum sanguinemque conuertebat, cuius abundantia circa finem cor irroratum, non poterat, non, in cygneam harmoniam erumpere. *Non moriar, sed viuam, & narrabo opera Domini.*

Homines impurissimi sanguinis.

At nos, qui, dum viuimus, tanquam Sirenes, meretricias sensuum consectamur voluptates; vitium, pro virtute colimus; fœditatem, pro castitate ambimus: *Et, cum nutriremur croceis, amplexati sumus stercora.* Sordibus delectamur, tãquam rosis. Nos, qui subtilissimum in vita sanguinem dilapidamus, dum *volutamur in carne, & sanguine*: dum lasciuimus, vsque ad horrorem exclamantis Prophetæ: *Sanguis san-*

sanguinem tetigit : dum effundimus sanguinem innoxium, dum amamus, & in contubernium, familiaritatemque nostram recipimus viros sanguinum, dum delectamur occisorum sanguine, dum sanguinem innocentem condemnamus; dum sanguinem vuæ meracissimum per guttur anserinum, veluti per bipedalem tubum, in ventrem, tanquam cloacam, mox iterum protuberandum, conijcimus: dum Sponsum sanguinum ludibrio habemus, & sanguinem testamenti pollutum ducimus: dum sanguinem hostię salutaris, iurando, blasphemando, execrando, in caput nostrum & omnem posteritatem, Iudæis nequiores, & gen- *Osea 4. 2.*

gentibus barbaris, ad exitium ſempiternum accerſimus.

Nos, dico, qui depuratiſſimum ſanguinem viuendo ignominioſe in voluptatis ganeis diſpertijmus, nec vt de ſanguinibus liberaremur, fuimus ſolliciti, in exceſſu, dum

Carmina iam moriens canet exequialia Cygnus,

tanquam Sirenes, deterrimo criminum ſanguine, quem congregamus, cum tanquam aquam iniquitatem bibimus, cor noſtrum occupante, pro cantu, mæſtiſſimos gemitus edemus, & niſi ante vitam ſerio emendauerimus, ęternum lugebimus.

Can-

Cantare qui non poterunt,
Plorare tunc valebunt.

Voces Sirenum erunt, quas gementes profundent: *Væ mihi misero, quid respondere potero, cum Dominus ad iudicandum venerit. Periit omnis fuga à me & non est qui requirat animam meam. Væ impio in malum, nunc adinuentionem manuum mearum comedam: retributio malorum meorum nunc fiet mihi.* Omen auertat DEVS. Ego Sirenas, tum in vita, tum in morte detestor.

CYGNVM amo; Quem recordor nominari ab Aristotele ἰυγγηρον, quod ad senectutem facile perueniat, eamque commode ferat: quod & Ælianus scribit. An fortassis

Cygnus ἰυγγηρος.

ſis hæc eſt origo *Cygni* in illuſtrium familiarium galeis expetiti? quod eo teſtari voluerint, Maiorum ſuorum ætatem, canis, prudentiaque venerandam, eandemque Nepotibus optarint. Quod & nos ex animo facimus. Sed eodem epitheto, Ætas mihi ſuggeritur morientis DEIPARÆ, & viridis eius ſenecta, in qua obijſſe arbitror. Eſt quidem contrauerſiola aliqua inter Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Scriptores: Quoto ætatis anno B. Virgo diem ſuum obierit? Fuerunt quidam, qui aſſeruerunt, eam deceſſiſſe, vno anno, & aliquot menſibus, à morte Christi. Hi mortuam dicunt, anno ætatis ſuæ 49. vel 50. Si quidem anno 15.

Quo ætatis Anno B. V. mortua.

Anno 49. vel 50.

Salua-

Saluatorem peperit, cum quo vixerit annis 33. post eius passionem, vno & mensibus aliquot. Sed hæc opinatio antiquata est.

Quemadmodum & illorum reijcitur, qui post mortem filijs superfuisse annis 12. & obijsse ætatis 60. adfirmat. Quæ tamen auctores habet, Episcopum Antiochenum Enodium apud Nicephorum, lib. 11. cap. 3. & Hippolytum Thebanum apud Epiphaniũ, Presbyterum Constantinopolitanum, libr. de vita, & obitu Deiparæ. *Anno 60.*

Vulgo recepta sententia est Diuam Matrem, ex hac vita migrasse, anno 15. post mortem Filij, hoc est, ætatis 63. hanc confirmat Sphærularum *Anno 63.*

numerus, quæ coronam, quã vocant Marianam, vel Rosarium, constituunt, à pijs sodalibus quotidie optimæ Matri recitari solitum.

Anno 71. 72. 73. Non est tamen omnino improbabilis persuasio Epiphanij, Presbyteri Constantinopolitani, in Libel. de vita & obitu Deiparæ: eam mortuam ætatis anno, vel 71. vel 72. vel 73. ita vt, post Christi ascensionem, vixerit annis 25. aut 24. aut 23. Sic enim Cedrenus in compendio historiæ. Et probat id Epiphanius, quia Dionysius Areopagita interfuit eius funeri, vt ipse scribit, cap. 3. de Diuinis nominibus: Dionysius autem conuersus est ad Christi fidem anno 19. post mor-

mortem Domini: vt necesse sit Dei-Genitricem vixisse, vltra 66. annos. Quod Cæsar Baronius roborat ex aduentu Pauli, qui etiam ad exequias aduolauit: non potuit autem ante Christi annum 57. quo à Iudæis detentus est. Huic autem ætati si addas, annos 14. vel 15. quot nata erat Virgo, cum peperit Saluatorem, peruenit sane viuendo, ad annum 72. *Baron. Anno 48.*

Fuit igitur & ipsa, vt *Cygnus*, ἔγγηρος: & ad senectutem peruenit, non tamen eam, quam fabulose quidam Cygno tribuunt, dum trecentesimum annum attingere fingunt, sed non minus putida est de Deiparæ ætate, vel fictio Collyridianorum, vt initio insinua- *Ætas Deiparæ.* *Apud Aldrou. lib. 19 Ornith.*

ſinuabam: qui in hunc vſque diem, illam mortis expertem contendebant: vel dubitatio Epiphanij, ambigentis, an ſine obitu ad cæleſtia tranſlata ſit. Obijt illa quidem, ſed tamen, vt *Cygnus*, ad ſenectutem facile peruenit: quam nemo hominum commodius tulit, nemo fructuoſius expendit. Fuit enim illa, toto eo tempore ſuauiſſimis rerum diuinarum contemplationib. deditiſſima: legebat, orabat, operabatur: & quod alijs mulieribus minime conceſſum, docebat, & quos? Mundi Doctores, Apoſtolos.

Maria Doctrix Apoſtolor.

Hanc n. ob cauſam, ſapientiſſimam Virginem, Chriſto in cælos aſcendente, tot annis relictam cum Apoſtolis, aſſerunt

runt Laudatores Deiparæ: vocaturque idcirco à B. Ignatio, Antiocheno, Nostræ religionis Magistra: à D. Bonauentura, Doctrix Apostolorum, Magistra Euangelistarum: à S. Augustino, Magistra Gentium, à S. Antonio, Magistra Doctorum Ecclesiæ, ab Idiota, Doctrix Doctorum.

Ignat. Epist. ad Ioan. Bonauent. in Hymn. August. ser. 6. de temp. Ant. Par. 4. Tit. 15. cap. 22. §. 9. Idio. contempl. Plura dedimus in Theolog. var. lib. 3. Comment. Exerc. 3.

An-non hoc est, commode tolerare senectutem? vtinā! Et nos in hoc ipso *Cygnum* nostrum exprimamus, simusque longæui ætate, & senectutem, cum ad eam peruenerimus, cum fructu exigere laboremus. At tu lepidus es, dicet quispiam, imo ridiculus: qui horteris, vt senes fieri velint, qui te audiunt, cum nemo

Conandum omnibus vt sint Longæui.

mo

mo iuuenis mori cupiat, imo, multi ſe mentiantur, per caput ſuum, iuniores, quam ſint, &, ſi argenteum aliquod filum, vel in mento candicet, inter nigerrimos pilos, vel in tẽporibus, inter aterrimos floccos, illud volſella ſcrupuloſiſſime eruncinari curent, ne ſenes videantur, vt ſic ad ſenectutem inaniter adſpirẽt, dum ſe fingunt iuuenes. Sed & imperite diſputas. In cuius enim hominis, mortalem vitam agentis, poteſtate eſt, vt ſeneſcat? O cara capita! ludimur ſæpe, & circum agimur falſis opinionum imaginibus, vt laruis & ſpectris inanibus.

Iob.14. Eſt quidem vnicuique ſua dicta dies, *Terminum poſuiſti Do-*

ſti Domine, quem non transgredientur homines. Conſtituiſti terminos hominis, qui præteriri non poterunt.

Certo veniunt ordine Parcæ: Sen. Herc. fur. Act. 2.
Nulli iuſſo ceſſare licet,
Nulli ſcriptum proferre diem.
Recipit populos vrna citatos.

At, in multorum fuit, & eſt, poteſtate, ne ſcriberetur, dicereturq;, qui deinde dictus ſcriptus dies: ac proinde eſt in poteſtate, vt ſenes fiant. Magnum eſt hoc ſecretum, & quibuſdam mirum, certum tamē Theologo. Ad quid enim alioquin, Orationes, Supplicationes, hortamenta ad vitæ emendationem? Non muta- Vide S. Tho. 3. p. Q. 83. Articul. 2.

tur quidem ordo prouidentiæ: ſed, ordo effectuum, ſupponit ordinem cauſarum, ex quarum præuiſione nectitur effectuum ſeries. Quocirca, ſi cauſæ ſint actus humani liberi, quos omittere potes, impedies effectum.

Intemperantia vitā breuiat. Clarius: & ad rem noſtram: Vitam breuiorem facit Intemperantia in eſculentis & poculentis. Nihil certius, apud Hippocratem, Galenum, & eorum aſſeclas. *Eccl. 37. 34.* *propter crapulam multi obierunt: qui autem abſtinens eſt, adijciet vitam*, inquit Eccleſiaſticus. *Lib. 4. Reg. 4. Hieron. & refertur de conſecrat. diſt. 5. Nec tales.* *Mors in olla, Mors in olla*, clamabant filij prophetarũ: Clamare poſſis in Germania: Mors in poculis, Mors in poculis. Multos morbos, multa fercula ge-

la genuerunt, aiebat Seneca. Hinc ſummam Medicinæ, id eſt, epitomen, Galenus vocat *Abſtinentiam.* Si itaque toties non celebrares conuiuia, ſi toties non adires Sympoſia, ſi toties te non ingurgitares, ſi non ſemper ſaliarem in modum epularere: ſi vẽtrem tuũ non faceres ſarcophagum ferarum, & ſepulchrum cõcupiſcentiæ, aut potius, arcã Noë animalibus mundis & immundis refertum. Si in illam cloacam tantum vini cotidie non infunderes, vt omnia velut in diluuio natitent; ſi decumanis cyathis diutius non certares cum ſocijs in menſa, quam in templo orationibus cum DEO; vno verbo: Si temperate viueres, pranderes, cœna-

res, ederes, biberes, vt fames sitisque domaretur, non vt insatiabili cupiditati satisfieret, ad *Cygni* ætatem accederes.

Venus vitã imminuit. At, non minus cito vitæ filum incidit in alio genere intemperantia, quæ Venereorum appellatione continetur. Quibus, qui se dedunt, ætas longa esse non potest. Nam

Et Venus eneruat vires, & copia Bacchi.

Quot in adolescentia, imberbes etiam aliquando tollit intempestiue è medio morbus Gallicus, lues venerea, putredo, ignis sacer, quæ luxuriæ sunt præmium. Itaque monet sapienter Ecclesiastes: *Eccl. 7. 18.* *Ne impie agas multum*: hoc est: Ne pec-

peccata peccatis cumules, ne in peccandi cõſuetudine perſeueres: ne atrocia quædam patrare præſumas. *Et noli eſſe ſtultus*: id eſt, improuidus, ſalutis immemor, laxans frena adfectibus: quare? *Ne moriaris in tempore non tuo*; Quo pacto mortui ſunt Saul, Achitophel, Abſalon, Amnõ, Aman & innumeri eius ſortis deliri.

Sed illuſtrius exemplũ hoc in genere nõ legi, quam quod accidiſſe ſcribit S. Bernardinus in Catalonia prope Valentiam ſua ætate. Duo de viginti annorum adoleſcens ſpecioſiſſimus, parentum nõ parens monitis, tandem ob latrocinia, patibulo ſuſpenſus eſt. Erat videre magno

S. Bernardi. Tom. 2. Quadrag. de Euang. ater. Domin. 2. Quadrag. Serm. 17. Art. 3. c. 3.

ſpectantium commiſeratione omnibus naturæ dotibus, & ornamentis excultiſſimum iuuenem, in ætatis flore, è furca, reſti gulam conſtringente, inter teterrimos patibularios pendulum: decora initio facie, capronis, & antijs, aureæ comæ, Abſalonis inſtar, frontem, ac tempora inumbrantibus: croceis genis, labellis roſeis, tuburcinatis, circa collum, & vndantibus carbaſis, feneſtrato, biſſiniſque diſtincto plagulis, thorace, follicantibus caligis, & circumquaque varij coloris in orbem dependentibus ligulis, cruralib. faſcijs, ad ſemivlnæ longitudinem fluitãtibus, calceis ad pedes arctiſſime ſtrictis, ac roſula exornatis, manibus gypſatis,
lob-

Iobbatisque, licet modice, vt furum esse solent, post terga reuinctis.

Dum sic longam facit literam, vel vuam pensilem, nitidissimus antea adolescens: ecce tibi temporis punctulo citius, succrescit, populo omni inspectante, & sensim è mento protenditur, prolixissima, hircinaque maior, & candidior, vmbilico tenus, bifurcata barba: caperatur frõs, rugantur genæ: euanescit maxillarum purpura: rutilus capillus migrat in argenteum, & subito incanescit: crinitus paulo ante Iopas, mox Nestorem refert & silicernium. breuiter, facies decrepitum senem exhibet, omnino nonagenarium.

Stupet populus, fit admurmuratio, ſibilant, mutuo ſe intuentur, ſatiari non poſſunt ſpectaculo, inſolenti plane ac ſtupendo, hærent attoniti. Tum Epiſcopus, adflatus diuino ſpiritu, docet tam diu victurum fuiſſe patibularium iuuenem, ſi ſe in paterna obedientia & virtutum palæſtra continuiſſet.

Virg. Æn. 10. Iob. 15. Pſal. 38. 5. Quamuis igitur ſtet ſua cuique dies. Et, *conſtituti ſint termini vitæ, qui præteriri non poſſint*. Et, *numerus dierum* præfixus ſit ex præſcientia DEI, eiuſque prouidentia, tamen ſecundum naturæ curſum, quæ producenda erat, in multos annos, vitæ tela, præciditur, DEI iuſſu, pro-

propter peccata, sicque moritur peccator *in tempore non suo*, nec *dimidiat dies suos*, quod de viris sanguinum Dauid adserit. Itaque, dum hortor, vt quilibet ad Cygneam ætatem contendat, moneo, vt vitam sceleribus non breuiorem faciat: simulque omnibus mihi dilect. Auditor. senectutem bonam precor, quæ Cygnorum est ꝓpria, & voto meo illis maxime accidat, quib. Cygnus felicitatẽ in galea portendit. Quã ille fert cõmode, vt *Cygnus*, qui nõ otio, suspicionib. morositate, rixis, susurrationibus, compotationibus, & adolescentum vitijs, vt inueterati dierum malorum, extremum vitæ fallunt, & inferorum præludunt

Senectutis bona votũ.

ſupplicijs, moleſti domeſticis, moroſi, anxij, difficiles, ſibi oneri: Sed qui conſcientia bene actæ vitæ, multorumque benefactorum memores, non dum à virtutum cultu ceſſant, ſed præclara virtutis coronide totius decurſum ætatis ornare adlaborant. Hoc eſt *Cygni* quem laudamus, veſtigijs inſiſtere.

Cygnus traiecta penna moritur. At quomodo tandem CYGNVS moritur? Perſuaſio eſt, traiectum pennâ decedere. Ouidius:

—— *Veluti canentia dura*
Traiectus penna tempora cantat olor.

Figmētum cenſet eſſe Aldrou. Conſentiunt Poëtæ alij, qui narrant, vnde hauſerint, neſcitur, Cygno, ad vitę extremum propinquanti, pennam in capi-

capite natam, paulatim per cerebrum descendere, ipsum vero, interea canere, donec moriatur. Si traiectã penna mortuam esse dixero Deiparam, non mentiar. Non quod existimem, eam ferro transfixã aut martyrio vita functã: quod olim opinati sunt nonnulli, oraculo Simeonis falsi, *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*. Sed quod Amoris diuini pennata sagitta cor animamq; transuerberante, obierit.

Apud Ambros. Lect. 11 Isid. de vita & obit SS. c. 68. Beda. Luc. 2.

Est enim illa grauissimorũ Theologorum sententia, Amorem confecisse vitæ Matrem. Amor illi languorem attulit, Amor mori coegit. Iacebat in lectulo, & languebat, nõ tabe, non febri, non cachexia, non maligna aliqua corporis

Maria vulneratur Amore.

constitutione, nō morbo vllo,
Cant. 11. 5. qui in illa locum non habuit,
sed Amore: clamabat, aut canebat potius, Cygnea voce, in cælum vibratis oculis: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*, Canticor. 11. 5. Quæ verba esse Deiparæ sacri interpretes intelligunt: & notat Gulielmus, non dicere illam; *Languesco*, sed *Langueo*, vt perfectionem Languoris insinuet; Nam tantam de calore Spiritus sancti flammam pii amoris conceperat, quantam capere poterat puri hominis modus. Septuaginta legunt: *vulnerata caritate*, vere, vere vulnerata iacebat Caritate: confixa erat sagitta electa; sagittario DEO, qui non alius, quam Amor

Amor, & Caritas: nam DEVS Caritas est: nec sagitta erat alia, à Caritate, quam Isaias vocat sagittam electam. Hæc illi sagitta hærebat in corde: & quia ignita, inducebat æstum & languorem. Languorem animæ quidem salubrem, ac vitalem, sed corpori mortalem, quippe compositi diuulsiuam.

Dum enim in sanctissima Virgine sponsus diuini luminis flammas amoris excitat, illamque, potentissime transfigit, animæ iam sauciæ corpus, functionibus minus aptum vitalibus, decumbit: interim illa vritur cæco omnipotentis igne, ardet, æstuat, paulatimq; consumitur. *Nam* DEVS *ignis consumens est*. Quid mirum defice-

ficere vitales ſpiritus, nec reuo cari poſſe animam, aceto, aqua, vino, roſis, vnguine, frictionibus, migrauit enim amans ad amatum. Extaſin fecit Amor: non eſt amplius in corpore, quod animauit: eſt in corde, quod amat animitus, non eſt in terra amplius: eſt in cælo. Arctiſſimum illum nexum vnionis, qui eatenus carnem colligauit, & ſpiritum tãquam nodum Gordium, Amoris ſecuris ſecuit: glutinum illud qualitatum, & tot diſpoſi tionum calcem, neceſſariam, ad hanc fabricam conſeruandam, labefactauit Amoris impetus, deſideriorum multitudo, ſuſpiriorum vehementia, contemplationum aſſiduitas. Hinc præceps virium lapſus, deli-

Lege Suar. Tom. 11. in 3. part. Q. 27. Art. 4. Diſp. 21.

deliquium, exanimatio, Mors. Sic tandē felicissima illa animula corporis vinculis soluta in cælum abiit, DEVM vidit, Trinitatem adiit, immortalitatis dotibus cumulata. Quod nulla imagine symbolica, quam a litum candidissima *Cygno* aptius repræsentatur. Et hæc fortasse causa magis idonea, *Cygni* in familiarum insignibus dicandi, vt tot nobilissimorum parentum, auorumque immortalia à fortitudine, aliisque virtutibus, patrata facinora celebrentur, & ad similia incitetur posteritas.

Nam fortes creantur fortibus.
Immortales ab immortalibus.

Albedo enim, & illa potissimum niuea oloris, vitæ nunquam interituræ perpetuitatem

tem & immortalitatis, post mortalitatem, in terris depositam, significat in Theologia symbolica. Quod me docuit erudit. Patrum Ecclesiæ Hier. in Esaiæ cap. 66. vbi de equo albo Apocalypsis 19. sic scribit: *Equo rufo sedebat Dominus, atq; saluator, humanum corpus adsumens. Equo a. sedebat albo, quãdo post resurrectionem, immortale & incorruptum corpus adsumpsit. Et quicunque eum sequebantur, candidis vtebantur equis, incorruptis videlicet immortalibus corporib.* Gregorius etiam disputans de Angelo, Resurrectionem Domini annunciante, notat, quia enunciare, perennem Christi resuscitati vitam venerat, & in dextra sedisse, & stola candida coopertũ apparuisse: quod festiui-

Hom. 21. Euang.

ſtiuitatis eius, quæ nos ad immortalitatẽ reduxit, eſſet nũci⁹
Sed & profani, cum de herois alicuius ἀποθεώσει diſſerunt, *Candidum* nominant. Quod diſſimulanter facit, vt eruditiſſimus, Virgilius, apud quem, cum ſub Daphnidis perſona, obitum Cæſaris Mopſus cecinißet, Menalcas lętiſſimam inter Diuos relationem carmine celebrauit: &, vt adſereret, vnum illum eſſe de cælitibus, diuinitate donatum, ac Deorum filium, ſat fuit dicere: *Apotheoſis.* *Eclog. 5.*

Candidus inſuetum miratur limẽ Olympi
Sub pedibusq; videt nubes, & ſidera Daphnis.

Quid eſt cãdidus? idem, quod immortalis, beatus, relatus inter Diuos, DEORVM filius: *Pont. lib. ſymb Mor. Ron. l·b. 6. cap. 15.*

Albos

Albos enim Deorum filios appellatos auctor est Plato, de Repub. lib. 5. Plus aliquid agnoscit in illo epitheto, Seruius Grammaticus: qui, *candidus*, inquit, id est DEVS.

Nos DEO proximum *Cygnum* nostrum esse hoc die factum scimus: de quo verius, quam de Daphnide canas:

Candidus insuetum miratur limẽ
Olympi
Sub pedibusq; suis nubes & sidera
Cygnus.

Nonne enim candidissima illa Anima, cum corporis haud retardata compedibus, in cœlum euolasset, summa cum voluptate *Despexit mare veliuolum, terrasque iacentes*: sub pedibusque, quicquid cœlo continetur, siderum, Solem ipsum, Lunam

Lunamque habuit? Quod fingebant olim profani, de fictitiis suis Diuis, quos fabulabantur Lunæ insistere vt Plutarchus commemorat, vbi Lunaris calcei rationem reddit, hic ad veritatem accedit. Nos enim non aliam, quam Diuam nostram Luna calceatam veneramur. *Plutarch. QQ. Rom.*

Sed non satisfactum fuit liberalissimo bonorum remuneratori DEO hac sponsæ suæ gloria singulari illa quidem & inusitata: sed quæ non nisi partem illius vnam contingeret. Voluit in consortium tantæ felicitatis venire corpus: in illud iterum vt notum amænissimumque hospitium post triduum ne, an citius incertum, immigrauit Anima, sensus omnes

mnes incredibili lucis insolitæ splendore perfundens, Vtriusque vero ASSVMPTIONI, & TRIVMPHO à seculis inaudito decretus est hodiernus dies.

Pompa triumphalis. In eo autem, qua pompa cæli regiam inuecta sit, quot Angelorum myriadas sese effuderint, quos postea comites habuerit: quis fuerit Diuorum adplausus in aduentu Mariæ resuscitatæ, quæ aduenientis ad summi Numinis solium; adoratio, quod dictionis genus, quæ SS. Trinitatis salutatio: quæ Virginis super omnes Angelorum choros exaltatio: quomodo sit facta coronatio: quæ adsumptæ, exaltatæ, coronatæ, Maiestas, dicere non audeo, nã pro dignitate

non

non possum, satius est silere quam exprimere: quæ si exprimere coneris, vt ornes, vitupe rare censeris, dum ob infantiam, plurimum de commendatione detrahis.

Cygni altes Veneris.

At quænam in Assumptione ipsa partes esse possunt *Cygni*, vt & hic locum suum habeant. An expectatis fortasse, vt dicam. Quemadmodum olim *Cygni* Veneris vocabãtur alites, & eius fingebãtur currũ trahere: vel bigã constituere, *a* vnde olorina in biga vehi illa dicebat: &, vel molles cygnos, vel niueos ol ores *b* agitare vel olorinis alis sustolli, vel iun- ctis per aera cygnis iter *c* carpe re, vel niuei s per inania cygnis polo delabi *d*, vel ad frena citare olores *e*: Ita Diuam nostram

a Stat. lib. 3 Sylu.

b. Secundũ lib 8.

c Ouid. Art

d. Pont. lib. 3.

e. Statius lib. 1.

volu-

voluptatis omnis honestæ, ac blanditiarum, & elegantiæ Matrem in Cygnea quadriga, iũ-ctis sex, caballorum vice, albicantibus oloribus, frena regentibus totidem bonorum è numero aligeris Geniis, Aurigarum instar, DIVÆ subseruientibus, cæleste iter ingressam: Illos autem

Cantantes pariter pariter plaudentibus alis,
Albaque purpureis frenatos colla capistris.

auratum Reginæ cælorum currum ad ipsum vsque SS. Triados solium volantes pertraxisse.

Nobis non licet esse tam profanis. Dicere hæc fas esset, nisi Theologum agerem, quem poëticę istiusmodi hypotyposes minus fortasse deceant. Quam-

Quamuis non ignorem, quod alibi fuſius demonſtro, præter Venerem illam vulgarem, vulgatiq; corporis, quam Poeticam appellare ſoleo, & terrenam, eſſe aliam Theologicam, & cæleſtem: veriſſimam PATRONÆ noſtrę imaginem: quod quemadmodum Venus gignere putatur omnia, quæ naſcuntur in terris; ita illa virtutes Chriſtiano dignas, modo ipſi obſequentes ſumus, in nobis pariat vniuerſas. Huius autem Veneris cœleſtis, volucres ſunt cœleſtes quoq; *Cygni*, candidæ illæ mentes, & immortales, quæ æternæ, ac rerum omnium creatrici, & moderatrici, Menti miniſtrantes haud alienum putarunt à ſua dignitate, Mentis il-

In Theologia varia lib.1. Com 7. Exerc.3.

lius summæ Matri, sponsæ, sorori, his triumphalibus festis, famulari, eiusque frenis subdi, & olorum vehentium æque, ac Aurigarum regentium officio fungi. Itaque

Hos molles agitat cæli Venus aurea Cygnos,

Quod Pictoribus nostris persuasum fuisse videtur, qui Virginem, ad cæli regiam properantem, aligeris pusionibus, (quoniam Angelos exprimere aliter non possunt) cingunt, tanquam totidem albicantib. *Cygnis*, quib. veluti triumphali quadriga in cæleste Capitoliū inuehatur.

Sed haud est opus his fictionib. vt hieroglyphice *Assumptā virginē repræsentemus*. Nam huius

ius Alitis velocissime volantis figura, ad superos proficiscētis candidissima Virgo optime exhibetur, cuius in insignib. constituendis haberi potuit ratio: ꝙ *cygno*, siue in seculo, siue supra illud, ad superos delatos familiæ Heroes significare fuerit propositū. Certe Gabrielis Angeli ad Mariam volatum, est, qui eleganter expressit volantib. Cygnis, & laudem habuit: cur nobis non liceat, volātem ad sidera Diuam, *Cygno* volante efformare?

--- Ille altum Zephyris per inane vocatis Sannaz. lib 1. de Partu virgi.
Carpit iter, scindit nebulas, atque aëra tranat.
Ima petens, pronisq́; leues vix commouet alas.
Qualis vbi ex alto notis Mæandria ripis

Perspexit vada, seu placidi stagna
ampla Caystri
Præcipitem sese candenti corpore
Cygnus,
Mittit agens, iamque implumis
segnisq́ue videtur
Ipse sibi, donec tandem potiatur
amatis
Victor aquis: sic ille auras, nubesq́ue
secabat
Sic noster niueis Cygnus se sustu-
lit alis.
Cygnus olorini duxque decusq́ue
chori.

Quid enim aliud est Mariana Sodalitas, quam CHORVS OLORINVS? In quo vtinam omnes sint olores, & Cygni: sed coloris natiui, id est albi. Nam de eo, quod insolens, & pene ἀδύνατον canitur:

Rara

Rara auis in terris nigroq; simillima cygno. Iuuen.

Quasi niger *Cygnus* esse non possit. Quod visum quoque Claudiano, qui sic cantillat.

Fama prius falso similis, vanoque videri Lib. 9.
Ficta ioco, leuior volitare per oppida rumor,
Riderique nefas veluti nigrantibus alis
Audiretur Olor, coruo certante ligustris.

Vtinam tamen nulli sint, etiam in olorino Choro. Est color ille in *Cygno* malignitatis, fœditatis, infelicitatis symbolum. Si quis talis in hoc cætu, exesse iubeatur, vel caueatur. Arrogans, sordidus versipellis, lasciuus, ebriosus, blas-

phemus, detractor, susurro.

Hic niger est Cygnus, hunc Moguntine caueto.

Val. font. ep. lib. 7. ep. Aldr. lib 19. p. 31

Et Tu Diuæ Parenti assimilare tuæ, quam, vt *Cygnum*, deprædicamus, vere Cygnum, Quia niueus vtrinque candor: ob quam causam, Poetæ illum volunt esse Hieroglyphicũ: sed multo magis DEIPARÆ. Ille lacteis plumis: hæc castitate, ac sinceritate; sed & amico cãdet in suos pectore. Est nihile candidior *Maria*, & fuit semper, nulla illa vnquam nigricantem peccati aut malitiæ plumam habuit. Noli, optime Sodalis virgineæ castitatis niuem, atra fœdantis omnia lasciuiæ aspergine cõmaculare. Fuit Mater tua *Cygnus* cãtandi suauitate: Canorus est Cygnus

tum

——— *tum potissimum*
Vicina seram, mori senectam cum
premit:

Quomodo, & quam dulciter cantarit morti vicina, audisti. Quæso te, mi Sodalis, per delitias tuas, vt semper dulcisonos lingua, mēte, manu, hymnos DEO concinas, & nunquā, tunc autem minime, cum ꝓpi⁹ à tumulo aberis, grunnies. Patronam intuere tuam, vere *Cygnum* extrema ætate cantantem suauius. An præter causas, superius recensitas, quoniā in illo cor ex puritate sanguinis titillat, & per procera colla purior aër prorumpit? Cor purū, & omnifariam mundum tibi precor. Cor quod spiritib. agitur cælestis amoris, & non terrenarum rerum carnalium-

que crassis affectibus, hilaritate spiritus decantat, illiusque modulatio, vitæ sanctæ harmonia, & morum concinnitas. Apud aquas igitur contemplationis, iustus cantillat: qui quanto plus senescit, tanto suauius modulatur, quia ipso mores redduntur compositiores, ac sibi magis consonantes. Vitæ enim integritas in senibus præclarior est: in morte vero ipsa lætatur, atque cum Iacob manibus & pedibus: nempe affectibus, & operibus recte compositis, suauiter canens, obit. Canit autem: *Mihi viuere Christus fuit. vnde nunc mori lucrum*. Ita nescio quis Theologus, apud Aldrouandum philosophatur.

Nec *Cygnum* te repræsentare pos-

re posse diffidas, quamuis in vita candorem innocentiæ, multis peccatorum næuis deturpaueris. Est enim eadem volucris Peccatoris, pænitentiam agentis, sacrum signum: si credimus viro, Cygnea semper voce in Cathedra modulanti Antonio Patauino: qui se cõmentatur; *Cum per totam vitam nostram peccata nostra debeamus quotidie cognoscere, & omnia, tam particulariter, quam vniuersaliter confiteri: maxime tamen id conuenit facere circa Mortem. Tunc enim debemus facere, sicut facit* Cygnus, *qui quando moritur, cantando moritur: & hoc dicunt contingere, propter quãdam plumam, quam habet in gutture. Sed tamen ille cantus dolorosus est ei: Cygnus albus est peccator* ad.

alii in cerebro sed putatur fabulosum.

ad pœnitentiam conuersus, super niuem dealbatus. Hic in articulo suæ mortis deuote debet canere, id est peccata sua in amaritudine animæ suæ recogitare. Pluma in gutture est peccati notitia & confessio in iusti ore, ex quo debet procedere cantus dolorosus, qui tunc est valde fructuosus. Sed melius tamen, optabiliusque est, esse *Cygnum* candore, nũquam vlla turpitudine, saltem lethali, fædato: quales sunt Matris Opt. exemplo electi aliquot eius pulli.

Cygnus hominis Amicus. Qui optimã Parentẽ respiciunt, etiã vt *Cygnũ* Philanthropia, hominum amore, & familiaritate gaudentem. Amantissima est hominũ Domina nostra. *Cygnus* id ostendit, dum in stagnis & fossis vrbes alluẽtib. liben-

libenter agit, quasi inter homines: Domina, cum in suorũ cætu versatur libentissime, dummodo sint homines nõ bestiæ: dũmodo cum in honore sunt, intelligant, nec comparentur iumẽtis insipientib. Mira sunt quæ de Cygnorum Philãthropia sparguntur. Ferunt mortuum quendam, amore hominis, cui male cesserat: Phaëtõtem nominat Virgilius.

Natus Cygnus Ligure Philanthropo.

Virg. lib 10 Æneid.

Namq; ferunt luctu Cygnum Phaëtontis amati
Populeas inter frondes vmbram que sororum
Canentem molli pluma duxisse senectam,
Linquentem terras & sidera voce sequentem

Credite mihi, Sodales, si mors caderet in immortalem: adeo

D. VIR. A. R. A. amans Sodalium.

vestram amore flagrat Patrona vestra, vt si curare vos posset, dum Mundo carne, vel Dæmonio inuitante, transuersum acti, virtutis semitam nulla salutis cura, deseritis: dum ipsi dorsum, supina sacrorum negligentia vertitis, dum calces in eius Filium, improbitate insignita iactatis, dum Lasciuiæ febri, superbię phrenitide, mania iracũdiæ, acediæ lethargo, stupore ignauiæ, auaritiæ apostemate, pestilitate, non corrupti adflatus, & anhelitus, sed conuersationis prauæ, ad extrema peruenistis, pro vobis, si curari non recusaretis, moreretur, tãtus amor vestrũ illam vrget. Si quod in illa crimen nunc esse posset, quæ cũ apud nos egit, fuit impeccabilis vere:

vere de illa, quod de *Cygno* quidam, caneretur; *Crimē amor vestrum.*

Nec illud est omittendum: censeri *Cygnum* nautis, & his qui freto agi volunt, prosperos cursus denunciare, & nulli *Cygnum* inauspicatam esse volucrem: Atque hanc potissimum fuisse Veteribus caussam Cygnis insignia familiarū exornandi, tum quod artem nauticam homines docuerint: tum quod augurio nauigantibus prospera portēdant, vt antiquitatis gnari opinātur. Certe, Poëta princeps ex Augurū disciplina vt Æneæ

Cygni Nautis fausti.

Vlyss. Aldrou. lib. 19.

—— ——reduces socios, classemq́ relatam

—— & in tutum versis Aquilonibus actam

persuadeat, inducit Venerem Cygnorum agmen ostendentem:

Aspice bis senos lætantes agmine Cygnos
AEtherea quos lapsa plaga Iouis ales aperto
Turbabat cælo, nunc terras ordine longo,
Aut capere, aut captas iam despectare videntur.
Vt reduces illi ludunt stridentibus alis
Et cætu cinxere polum, cantusque dedere,
Haud aliter puppesque tuæ pubesque tuorum
Aut portum tenet, aut pleno subit ostia velo.

Ob quam causam fortasse, Castorem & Pollucem, quos à Ioue in *Cygnum* mutato, prodijsse fingebant Poëtæ, velut

ſidera Nautis auſpicata celebrant, tanquam Nautarum Numina, eoſque Cygnos in clypeis geſtaſſe memorant: & libenter ſane illa ſigna ſpectantur à nauigantibus.

Multos hodierno die, quippe triumphali ſuo, conſequuta eſt titulos, PATRONA noſtra, ſed neſcio, an vllum, ex omnib. quod hominum generi ſit magis ſalutare, quã STELLA MARIS, id eſt, nauigantiũ auſpicatum ſidus, q̃ non eſt aliud quam *Cygnus in cælo*. Si itaque hodierno die, MARIA, tanquam *Cygnus* in cælum eſt recepta, conſtituta eſt mihi, vt STELLA MARIS, & in mari fluctuantinm certiſſimum præſidium: id eſt, omniũ noſtrûm. Quid enim eſt MARE, niſi

Titulus Stella Maris.

RE, nisi Mundus in quo degimus, continuis agitari fluctibus solitum: mare magnum & spaciosum manibus, in quo descenditur vsque ad abyssos, calamitatum depressione, & ascenditur, sed à paucis, vsque ad cælos prosperitatis exaltatione. Hodie igitur initium sumpsit illa toties à nobis repetita, semperque repetenda salutatio: AVE MARIS STELLA, hoc est, AVE CYGNE. Quam esse genuinam nominis Mariæ interpretationem scribit S. Hieronymus, contra quem pugnāt Nouatores scioli. Nos viro eruditissimo, cui auctoritatem pręter infinitam lectionem, & linguæ Hebraicę notitiam sanctitas conciliauit, adhæremus, quamuis dif-

ficile

ficile sit thema grammaticum producere. *Vide Delr. Polm.11.*

Hoc magis laborandum, vt illam nobis, vita, castissimisq; precibus conciliemus, ne in hoc tẽpestuosissimo mari nauigantes, naufragium, & preciosissimarum Mercium, tot sudorib. paratarum, iacturam faciamus. Hac fauente, secura est nauigatio. Est enim certũ Prædestinationis signũ, quod alibi probo, erga VirginẽDEIPARAM, singulari pietatis affectu ferri.

At cur nauigantib. prospera portendunt *Cygni*? Causam dat Ornithologus *Spind. de B. V. ca. 39.*

Cygnus in auguriis nautis gratissimus ales *Seruius.*
Hunc optant semper, quia nunquam mergitur vndis.

Can-

Candidiſſima Virgo, vt nũquam mundani pelagi vndis merſa fuit, ita, quibus benigne adfulget, ne obruantur vnquã eſt cauſa. Ad hãc igitur Maris Stellam nos conuertamus, & ſuppliciter poſtulemus, vt procellis æquoris vorticoſi agitatos, & in ſpiſſiſſima errorũ caligine palantes, ad patriæ Cæleſtis, & ſalutis portum, manuductrice luce benignitatis ſuæ perducat.

Faciet haud dubie, qua eſt erga nos beneuolentia. Nã Cygnum exprimit, tum tot dictis antea de cauſis; tum vel maxime PHILANTHROPIA. Cuius etiam fortaſſe in inſignibus gentilitijs habita ratio, vt Humanitas Maiorum deprædicaretur, & ad ean-

dem

dem incitarētur seri nepotes. Et mihi, si Sodalitatis MARIANÆ Insignia constituenda essent, quę alias describam, cum cæteras volucres, de quibus singulis festiuitatibus actum, in campo vt vocant, seu scuto collocarem, tum *Cygnum*, volantis specie, Galeæ imponerem.

Amantiss. hominis est Cygnus, amantiss. suorum Virgo B. Vnum est quod fortasse minus commode, à Cygno ad DEIparam transferatur. Auctor est Tertullianus, Cygnū Hypocrisis esse Symbolum, quia sub purpureæ niuis albedine tetram carnis, & cutis rauitiem recondat. Hinc versi pelles & Simulatores quibusdam Cygnus notat. Quemadmo-

Tertul. lib. de cibis Lud. Delrio in florid. Paneg. 2. de Nati.

admodum enim, inquiunt, hæc volucris plumis candicat, carnem habet nigram: ita pessimum illud hominum genus extrinsecus quidem cãdidum, hoc est, probitate conspicuum comparet: intus vero nigrum existit: hoc est omni vitiorum labe, inquinatum.

Est hæc non õio inepta imago: sed, vt Symbola solẽt, haud minus accommodate detorquebitur ad Diuam nostram, quæ de seipsa pronunciat: *Nigra sum sed formosa*: Nigredinem ecce candori copulat. Quod licet quidam referant ad Virginis impręgnationem, cum, qui grauidam videbant deintegratam opinabantur.

Alanus. Erat nigra, inquit Alanus, huma-

humana opinione, sed formo sa rei veritate, id est, illibata. Alij ad omnes doloris, laborumque causas, quos tota vita fuit perpessa, initio maxime cum fugeret Herodem, & crederetur filium è fabro genuisse. Non nemo ad paupertatem parentum, ex quibus nata. Gulielmus, & Hailgrinius ad Passionis tempus, quando morienti filio adstitit, mater dolorosa, & obnubilato Sole, obnubilatus fuit splendor, ac decor, quem hæc Luna pulchrior, de Sole suo hauriebat. Tamen, quid vetat, accommodatitio sensu, intelligere de *Cygno* moriente: deinde vero paulo post rediuiuo? Nigra in morte, sed formosa mox in resuscitatione: Nigra, Rupertus.

gra, quia decolorata communi hominum ſorte in deceſſu: ſed formoſa immortalitatis colore, & ſplendidiſſimo fulgore æternitatis. Nigra etiam, quia à Iudæis popularibus deſpecta: ſed formoſa: quia ab Apoſtolis, vndique confluentibus honore debito culta. Quod de Iudæis dico, non ſine auctore adfirmo. Idem enim auctor, apud Metaphraſtem fidem facit, & de palmæ ramo DEI-Genitrici moriēti in victoriæ ſignum allato, & de Apoſtolis eodem momento ex omnib. orbis partibus. Ieroſolymā ad obitum eius, per aëra in ſublime delatis: & de miraculo facto in Iudæum, qui feretrum, quo ad ſepulturam ferebatur, eſt co-

Melito Vide Baro. A. 68.

eſt conatus euertere. Deniq; nonne etiam- num eſt *Nigra* oculis ſectariorum, & Mario-maſtygum, *Formoſa* oculis Catholicorum: & maxime Sodalium? Vere *Cygnus*, cutis nigredine: plumarum formoſitate: ſed illa non eſt, niſi opinionis vanæ, hoc ſolidæ veritatis.

O dignum amari *Cygnum*! Fac Domina, vt Te amemus, ſicut venerari cupimus, vere *Cygnum*, niue candidiorem, puritatis amantiſſimam, cantandi ſuauitate dulciſſimam, hominum, Tibique ſingulariter deditorum curatricem diligentiſſimam. TIBI NOS, quod ſumus, donamus; quod poſſumus, voueamus, quod dicimus, dicamus:

quod facturi in posterũ, spondemus, consecramus.

Diua faue, & niueis felix allabere cygnis.

VIRGO CANDIDISSIMA ORA PRO NOBIS.

ORA-

ORATIO QVARTA.

Symbolum IV.

GALLINA.

MARIA- NATA.

Ita vos collegi vt Gallina pullos suos sub alas suas, lib. 4. Esdræ cap. 1. 30.

Mater amantissima ora pro nobis.

NATÆ recens Virgini dicamus GALLINAM, domesticas inter volucres, nobis familiarissimam, ac maxime fructuosam. Qua ex alitibus, quas Deiparam Symbolice

 refer-

referre, quot festis eius explicamus, nulla magis expressa, ac naturalis est imago: nulla tot coloribus, & tam scitis diuinam eius formam exprimit: nulla pluribus cum illa proprietatibus, communicat. Quocirca, si ceterarum contemplatio Auicularum, vnius oculi attentissimam inspectionem impetrauit: hæc vtriusque immotum in pulcherrimi Symboli speciem obtutum: nimirum, aurium, animique diligentiss. attentionem postulat. Adsis Patrona.

Aiebam maxime propriam, & naturalem, in Symbolico theatro Virginis imaginem esse Gallinam. De quo dubitare non sinit Mariæ filius: qui

se

ſe Gallinam teſtatur ſolenni carmine, quod in Iudæos minitabundus, aliquando intorſit: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum Gallina.* Gallina autem, non niſi Gallinæ eſt pullus. Gallina Chriſtus, Gallina ergo Maria. Matth. 23. 37.

Sed quare potius in Natiuitate? Nam ita Symbola hæc Deiparam exhibent, vt non minus feſtiuitatum, quam Dominæ in ijs cultæ ſint icones. An fortaſſe, quia naſcitur illa, quæ iam tunc fœcunditatis erat Mater? An potius, quia Maria in Natiuitate ſalutem ſpondebat mortalibus, cuius eſt hieroglyphicum Gallina? An etiam,

quia iam tūc expandebat protectionis suæ alas, vt congregaret pullos, ac tueretur, ne infernalis miluus raperet: ꝙ est proprium Gallinæ? O bona Mater, vix nata, & de nondum nata sibi prole solicita! Sed hæc paulo fusius deducenda sunt.

Gallina fæcunditatis Symbolum. Imprimis itaque Gallina fœcundæ matris est Symbolum, tum ob ouorum, quæ nonnullæ gemina singulis diebus edunt, tertio etiam nonnunquam addito: tum quod pariant omnibus anni temporibus, à quibus, licet Aristoteles, ac Plinius, binos brumales menses excipiant: tamen experientia constat, & testatur Vlysses Aldrouan-

Pier. lib. 24 Aldr li. 14 Ornith.

Lib. 14. pag. 219.

uandus, in sua Ornithologia, nonnullas & his diebus oua profundere. Et sunt, quæ tam multa pariant, vt id bis etiam die faciant: Magna hæc est fœcunditas, cui nulla par in volucrum aliarum genere.

Iam lætandum nobis in Natiuitate Beat. Virginis monet diuina Psaltria, quod Gallina mundo, nobisque obuenerit, fœcunditatis inauditæ, & incredibilis: quippe, non ouorum paucorum, sed Deipara, & myriadum aliquot hominum. *Gloriosæ Virginis Mariæ ortum dignissimum recolamus, quæ & genitricis dignitatem obtinuit, & Virginalem pudicitiam non amisit.*

sit. Natiuitas tua DEI-GENITRIX *Virgo, gaudium annunciauit Vniuerso mundo: Ex Te enim ortus est Sol Iustitiæ Christus Deus noster: Qui soluens maledictionem, dedit benedictionem, & confundens mortem, donauit nobis vitā sempiternam.*

Quibus verbis duplex fœcunditas Magnæ Matris insinuatur: vna Naturalis: altera Mystica. Naturalem ostendit, pariendo Christum, cuius fuit naturalis parens: hunc enim dum peperit, tot edidit filios, quot nomine reque sunt Christiani. An non ex hoc vno, semen eius multiplicatum est super Stellas cœli, & super arenam, quæ est in littore maris?

ris? Celebratur ab historicis, vt insignitæ fœcunditatis fœmina, quæ partu vno edidit quatuor geminos; mares duos, fœminas totidem: alia, quæ septem profudit: quædam viginti liberorum mater, quatuor vicibus enixa, cum quinos singulis vteris edidisset. Sed hæc in prodigijs numerant aliqui. At illud magis, quod Margarita comes Hollandiæ, trecentos sexaginta filios viuos, ita, vt baptismi charactere insignirentur, vno partu produxerit. Verum, quid hæc ad fœcunditatem illius, quæ semel enixa, tam numerosam prolem edidit, vt dici mereatur omnium Mater viuẽtium. Quid autem dicere attinet

Solin. ca. 11. Plin. lib. 7. cap. 3. Aristot. li. 7. hist. c. 4. Gell. li. 10. cap. 2.

Annal. Holland. Genebr. in Clem. 5. Maiol. coll. 3.

de fœcunditate myſtica, quæ orbem vniuerſum complectitur, & Mariam, vt Matrem inuocat? Regna intuere, & ampliſſimas prouincias, quarum incolas omnes Marianos dicere poſſes, tanquam Mariæ filios, quod per eam, à Filio vitam ſe obtinuiſſe fateantur, & conſeruari. Non ſola Hungaria, Mariæ familia nominari optat, quamuis hunc titulum à Sancto ſuo Rege Stephano habeat, qui illam Dei-parenti conſecrauit: Sed Gallia, Hiſpania, Germania, Belgium, cæteræque orbis Chriſtiani prouinciæ, quarum non minor eſt, in optimam ſuam parentem adfectus.

Suri. in vit. Can. lib. 5. de B. V. c. 28.

Sed

Sed nihil vſque adeo Fœcunditatem ſpiritualem Gallinæ N. prodit, ac Sodalitatum partheniorum propagatio.

Quam breui omni tempore, per Europam vniuerſam, poſtea vero etiam per Americam, nouum orbem, & Indias, tum, quæ ad Orientem, tum, quæ ad Occidentem ſpectant, innumera omnis generis, ſortis, conditionis, ſiue ſecularium, ſiue Eccleſiaſticorum inſtituta ſunt Sodalitia ſub Auguſtiſſimo MARIÆ nomine, quæ illi omni obſeruantia, & debito cultu, tanquam DEI, & ſuæ parenti benigniſſimæ deſeruiunt: cum per eam ad vitam meliorem ſe traductos non dubitent, &

salutem se consequuturos, nõ minus æternam, quam temporariam, eius opitulatione, à DEO constantissime sperent.

Gallina Symbolum Salutis.

Quod vt asseram, monet me GALLINA, quæ arcanam salutis significationem continet apud Symbolicos. Quod illi ex naturæ schola, quæ fallere non solet, hauserunt.

Pie. li. 24. Aldr. li. 24 pag. 276.

Ex ea enim habetur, quod experientia comprobat, tantã vnius Gallinæ carnẽ ad vsum medicinæ hominibus vtilitatem præbere, vt nullus propemodum corporis, cum internus, tum externus sit affectus, qui ex ea non hauriat remedium. Præterquam quod nullus alius sit cibus, qui in ægritudine alat, & non oneret, exce-

excepto eo, qui à Gallina petitur. Cuius auctor est Rases, qui centum annos medicinã fecit omniaq́; ex diuturna experiẽtia habuit, quæ ſcripto deinde ad poſteritatem tranſmiſit. Hinc factum, vt veteres ſuperſtitioſe quidem ſi externũ ritum ſpectes: ſapienter, ſi Symbolum, Æſculapio ſalutis Præſidi, Gallinam immolarent, tanquam ſalubritatis indiciũ. Ferũt enim id ſacrificij genus ideo inſtitutum, q̀ earum caro ſit leuiſſimæ digeſtionis, ac proinde languentib. commoda. Adhæc: quod nulla in Gallina ſit particula, quamuis excrementa etiam annumeres, ex qua aliquam Medicus vtilitatem non percipiat, quod lõgiſſima partiũ enumeratione

Vlyss. Aldr lib. 14, pag. 277. Vlysses Aldrouandus demonstrat, initio, à morbis vniuersalibus ducto.

Apodosis Symboli. Quid hic necessarium aliud, ad Symboli apodosin conficiendam, proferre, quã quod cotidie ingeminamus, in litaneutico carmine, SALVS INFIRMORVM? Salus effectiue, dicunt Philosophi, quia salutem procurans, tam corporis, quam animæ. Est-ne morbus aliquis in vlla hominis parte, à summo capitis, ad imũ plantę (texe si placet, catalogum ægritudinum) cui ab hac Diua sospita, non sit petitum, præstitumque præsentaneum remediũ? O quam iucundum esset, si id temporis huiusce permitteret ratio, non tam, cito pede, quam

quam volante mente, percurrere, tot Mariæ, tanquam morborum omnium curatrici, per orbem vniuersum erecta templa, in iisq; inspicere & numerare anathemata, tabellas votiuas, cereas icunculas, sanitatis impetratæ testes, nullius occurreret morbi nomen, quamuis nostris in partibus incognitum, ab illa malorum auerruncatrice non dispunctum.

Nec corporis saluti magis, quam animæ, quæ pluris facienda, consulit: superbiam illa æque, ac cephalalgiam: vanitatem, non minus, quam vertiginem: iracundiam, haud frequentius, quam rabiem, pigritiam non secus, ac lethargum: ignorantiam, tam facile, quam ophthalmiam: libidinem, vt

tabem, guloſitatem vt bulimũ: auaritiam, vt cachexiam depellit, & ſibi deuotum omnib. animæ moleſtiis liberat. Siue interceſſione, ac ope exterius porrecta, ſiue ſui ipſius contẽplatione, & exemplo, tanquã delicatiſſimi cibi, & velut è Gallinæ ſoſpitatricis pulpa confecti maſticatione. Nõ eſt enim vlla pars vitæ Mariæ, ſicut nulla particula Gallinæ, quę diligẽti ſalutis ſuæ curatori non proſit, ſi conſiderationi ſubiiciatur, & referatur ad vſum, non conducat ad ſanitatem. Vere, ſalus Infirmorum. Quapropter merito:

O VIRGO *Mater virginum*
Te fuſa gens mortalium
Per abditos mundi ſinus,
Iber, Britannus, Sarmata

Ciuiſ-

Niech Bog bedzie pochwalon

Ciuisq́ flaui Tybridis
Salutis indigens adit.
Te florido, qui margine
Germanus, aut Gallus premit
Rheni latus, Mosæ latus,
Salutis indigens adit.
Hic mentis, ille corporis
AEger, petit solatium
Et impetrat.

At non gaudendum ad *Galli-næ* salutiferæ exortum? *Hodie nata est B. Virgo Maria ex progenie Dauid, per quam salus mundi credentibus apparuit, cuius vita gloriosa lucem dedit seculo. Natiuitatem B. Mariæ virginis cum gaudio celebremus, per quam Salus Mundi credentib. apparuit.* Hodie nata est B. Virgo Maria At quomodo nata? Non est ex isti-

istimandum, illam vulgari modo natam, quę nouum fuit orbis miraculum. Prodigiosa quandoque *Gallinarum* est natiuitas. Iucundum est lectu, quod vt ostentum, ita narrat Apuleius. *Vna de cætera cohorte*

Apul. l b. 10.

Gallina *per mediam cursitans aream clamore gemino, velut ouũ parere gestiens, personabat. Eam suus dominus intuens: ô bona, inquit, ancilla, & satis fœcunda, quæ multo iam tempore nos quotidianis partubus saginasti, nunc etiam cogitas, vt video, gustulum præparare: &, heus inquit, puer, calathum fœtui destinatum angulo solito collocato, ita, vti fuerat iussum procurante puero, Gallina, consuetæ lecticulæ, spreto cubili, ante ipsos pedes Domini præmaturum, sed magno prorsus futurum scrupulo*

pro-

prodidit partum, non enim ouum, quod ſcimus illud, ſed pinnis & vnguibus, & oculis & voce etiam perfectum edidit pullum, qui matrem ſuam continuo cepit comitari. Prodigioſum non ſine cauſa habitum, *Gallinam* cum ouum parere ſoleat, eius vice viuum edere pullum.

Gallina fuit MARIA, ſed non vt cæteræ illius ordinis ex vtero materno imperfecta non diſtincta membris, non dotata vitali ſpiritu, non ornata cultu corporis, & animę prodiit. Naſcitur hodie ex Annæ tanquam effętæ Gallinæ ſterili ventre, omnibus abſoluta partibus, completa articulis, inſtructa dotibus, ad miraculum ſpecioſa puella, futura DEI Mater; Maria Gallinaceus pullus.

Vna

Vna puellarum modo formosissima nata est,
Fingite, quam hic oculis totam exsugatis adesse:
Brachiolum tractare teres: modo spargere ocellos,
Corda regit, quib. ipsa hominum: enodare comarum
Aurum, dignumq́; imperio sustollere vultum:
Diuam aliquam, reor elapsam dis e tis Olympo.

Ego sane,

Me nisi fallat amor, nostra sub imagine Diam
Infantem aspicio. Nostræ ô quæ gratia Natæ?
Corda merent oculi, facies exorat amorem.
Quam mihi stellatus cuperem se infunderet Argus

In mea membra, oculis Diuam, vt modo mille viderem
Perq́; vias modo mille animam peruaderet eius
Mortales, quæ sola beat, forma aurea frontis.
Quid prius admirer? Natæ cultumue, decusue?
Est in vtroq́; lepos Dominamq́; exornat vtrumquè

Sed me magis rapit, & dignior admiratione est interna animæ species, quæ omnibus perfecta numeris in hoc pullo fuit cum in lucem fuit editus. Est enim hoc persuasum Christianis omnibus, qui diem natalem Virginis Beatiss. ritu solenni colunt, eam sanctitate, gratia, ac virtutibus, (quæ animæ perfectam membra sunt,) ex aluo materna egressã. Quod si disqui-

S. Thom. 3. P. Q. 27. Artic. 1.

quiras, vnde nam id habeatur? Respondet Angelicus Doctor: In sacris quidem literis, id non esse perscriptum: esse tamen traditionem Ecclesiasticam, eam in vtero matris Annæ, fuisse sanctitatem adeptam. Et sane est credendum, data esse DEIPARÆ priuilegia gratiæ, quæ aliis sanctis fuere concessa. Io. Baptista spiritu sancto repletus est adhuc ex vtero matris suæ. Hieremias sanctus fuit, antequam natus, vt communiter Patres antiqui docuerunt; quicquid refragentur iuniores aliquot Doctores. Itaq; & B. Virgo in vtero matris sanctitatem est consequuta.

Orig. Hom. 1. in Hier. Tert. Lib. de anima c. 26. Ath. Or. 4. cont. Arian. Nazia. Orat. 1. Amb. Luc. 1 Leo. Serm. de Nat. Bernar. ep. 174.

Verum, estne omnino fide catholica credendum: Deiparam ante ortum suum fuisse san-

ſanctã? Caietanus in opuſculis Theologicis, adfirmat, hoc tantum probabiliter, & piè in Eccleſia credi. Sed caſtigat Caietanum Catharinus, quem etiam arguit Cordubenſis, qui volunt, fide Catholica credi, Patronam noſtram in Sanctitate natam eſſe. Alij exiſtimant, oppoſitum non quidẽ contra fidem eſſe, ſed fere errorem in fide continere. Prudens eſt reſponſum, in hac materia Ioannis Azorij, Eccleſiaſticam traditionem videri in hac parte fidem facere. Nam ejuſmodi Eccleſiæ traditione multa alia credimus, quamuis ex Sacris litteris ea non habeantur, atque colligantur, Mihi ſane nullum ea de re eſt dubium.

Tom. II. Tract. c. 1.
Cath. lib. 4. in Caiet. Cordu. lib. 2. 44. conc. 4.
Azor. Tom. II. Mora. lib 1. c. 19. Q. 2.

Sed

Sed vt perſpiciatis, quam perfectus fuerit Pullus hic noſter in ortu: adiungo, non ſolum ſanctificatam prodiiſſe ex vtero: ſed cum pleno etiam rationis vſu, aptam ſpeculationibus, & conſummatam Theologam, dignam prima ſapientiæ diuinioris laurea. Quod demonſtrauimus, in Theologiæ Parte 1. ſed iuuat hic recitare ſententiã eximii Deiparæ cultoris Bernardini Senenſis, quæ omnẽ ambiguitatem tollit pie adfecto.

Lib. 3. Com 9. Exer. 3. Diſp. 2.

Virgo, inquit, *dum erat in vtero S. matris, habuit vſum liberi arbitrii, & lumẽ perfectum in intellectu, & ratione: & ad tantam cõtemplationem ſublimata eſt, vt etiam in vtero matris perfectius contemplaretur, quã vnquam fuerit con-*

S. Bernard. Tom. 1. Ser. 61. art. 3. c. 7. & To. 11. Ser. 51. c. 2.

contemplatus quisquam in perfecta ætate.

Rationem addunt Dionysius Carthusianus, & Iacobus Christopolit. Episcopus, comparatione hac facta. *Si Ioannes adhuc in vtero matris Christum cognouit, & exultauit, vsu rationis miraculose præuentus, cur non amantissima Dei MARIA, quæ à nullo illustrium vincitur, imo superat vniuersos, credatur, ex supernaturali illuminatione ante solitũ tẽpus vsu rationis frequenter præuenta, & ante coætaneas suas assiduum & cõpletum rationis vsum sortita.* Quod si reuelationes B. Brigittæ factæ, quæ circumferuntur, indubitatam fidem facerent, nihil esset hac re certius. In iis enim hæc virginis

Cart. lib. de laud. virg. art. 11. To. oper. min. Iacob Christ. in Gant. virg

Apud Dionys. loc. cit. Art. 6. ginis ipsius referuntur verba: *Cum anima mea sanctificabatur, & suo corpori iungebatur, tanta animæ meæ aduenit lætitia, vt impossibile sit effatu.* Pollebat igitur rationis vsu, sine quo, talis, tantaque, cuius supersit recordatio, non est lætitia.

Quod roborat non omnino aliene Sebastianus Barradas, illo Ap. 12. vbi virgo Deipara Sole amicta prędicat: *Mulier amicta Sole.* Amicta nimirũ omni ex parte siue in vtero siue extra vterũm, solis: id est ratio nis splendore ac vsu, quo nun quam caruit. Adde illud Psalmographi. *Thronus meus sicut sol in conspectu meo:* id est, Virgo Christi Thronus; ac Dei (vt demonstrat integro volumine Petrus Antonius Spinellus) soli fuit

Apoc. 12. 1.

Barrad. lib. 4. Can. cap. 3. p. 472. coll. 1. Et 2.

Pet. Ant. Spin. lib. cui tit. Thron. DEI.

li fuit ſimilis, quoniam, ſicut ſol nunquam eſt ſine ſplendore: ita illa ſemper vſum rationis habuit.

Ad quod confirmādum adducit haud intempeſtiue Petrus Moralez, Eccleſiaſtici eſtatum iſtud: *Sol illuminans per omnia reſpexit: & gloria Domini plenū eſt opus eius*. Eſt n. B. Virgo opus Dei per excellentiam plenum. De ea dicitur, Vas admirabile, opus Excelſi. ſiquidem vt loquitur S. Bonauētura *Antonomaſtice opus Domini eſt* MARIA, quia nunquā inuenitur ſimile. De qua dictum Regum III. *Non eſt factum tale opus in vniuerſis Regnis*.

Mor. lib. 1. tract. 9. N. 13.
Eccl 42. n. 16.
Eccl. 43. 2.
Bona. in Spec. Virg. c. 7.
Lib. 3. Reg. 10.

At enim non agnoſcit tantam perfectionem in Pullo quem laudamus, è matris aluo

recens prodeunte. Magnus scholæ Doctor: qui exserte pronunciat. *Non habuit B.Virgo vsum liberi arbitrij adhuc in vtero matris existens, hoc est enim speciale priuilegium Christi*, Doctorem suum Ordo sequitur. Mihi amicus est Doctor, amicus eius Ordo, sed magis amica veritas, & Deipara, cui haud paulo plus, quam mortalium vlli alteri debeo. Quãuis nec summus ille Doctor refragatur, qui clarius haud dubie sensa mentis aperiret, si hoc tempore nobiscum ageret. Loquitur tamen, sed inuolute, vt nonnunquam solet, de eo quod Christo proprium, nec alteri communicãdum. Christi a. ea est prrogatiua, quod ipso conceptus momento

S.Tho.3. Par Q.27. art.3.

S.Tho. 3.p. Q.34. Art. 2.

to per se sibi debitum in omnibus habuerit expeditũ rationis vsum, nec alterius meritis: Virgo-Mater meritis filii, ideoque nõ debitũ, sed gratuito ex peculiari largitate concessum nec in omnib. rerum generib. sed iis tantũ, quæ ad Dei, & verbi diuini notitiã sibi conueniẽtem spectabant, vt obseruarũt, viri ordinis nostri præclari Frãcisc. Suarez, Sebastianus Barradas, Petr⁹ Ribadeneyra, & ante hos, Bernardinus Busti: qui sic Thomæ Aquinatis enunciatũ mitigant. Non fuit MARIA sol, sed Electa vt sol: *Thronus eius sicut sol.* Non dies perfectus: *Sed quasi Aurora cõsurgens.* Itaq; magnũ inter illam, & Filiũ discrimẽ cõstituimus: maius ꝑfecto, quã inter Principẽ & Augu-

Suar. Tom. 3. P. Q. 27. Ar. 3. Disp. 4. Sect. 5.

Barrad. To 1. lib. 6. cap. 4. §. Quarta gemma est rationis vsus. Busti in Mariali P. 12. Serm. 1. fol. 380. col. 4.

ſtam ICti poſtulent, qui cum ſuo Vlpiano vſurpare conſueuerunt illud: *Princeps legibus ſolutus eſt: Auguſta a. licet legib. ſoluta non eſt: Principes tamen eadem illi priuilegia tribuunt, quæ ipſi habẽt.* l. princeps ff. de legibus. Quod ſi quis plane obſtinaſſet animum, vt ſunt quidam in p̃cõceptis opinationib. ſuis pręfracti pernegare, Deiparæ facultatem vtendi ratione fuiſſe datam in vtero, is tamen haud reprehenderet dicentẽ, ſtatim vt in lucem fuit edita, illi hoc gratiæ fuiſſe cõceſſum. Quod nobis eſt ſatis, vt adſeramus, non minus prodigioſam puellæ noſtræ natiuitatem, quam ortum pulli ex *Gallina* perfecti prodeuntis, quod ad ſymboli noſtri adſimilationem plurimum

mum valet. Ad quam & illud confert haud parum, quod nõ tam ex Aristotele didici, quam obseruatione cotidiana: licet illud habeat Arist. lib. 9. Hist. animal. cap. 49.

Gallinam esse pulueratricẽ: impendio enim puluere gaudet. Vnde dicebat Ephesius Heraclitus: Cæno sues lætari, velut cohortales aues, inter quas principem locum Gallina obtinet, puluere aut cinere. Id vero triplicem ob causam potissimum faciunt: tum, vt ita sese volutãdo, quodammodo scabant, tum, vt plumas pennasq; emendẽt: tum vt bestiolas infestantes excutiant. *Gallina pulueratrix.*

Libentissime *Gallina* nostra versabat se in puluere, & cinere, vere Gallina pulueratrix. *Maria in puluere,*

Puluis, humanæ generationis, est exordiũ, origo vilitatis: Cinis eiusdẽ epilogus. Hinc vtrũque est symbolũ ortus nostri & interitus: indeq; humilitas. *Omnes homines terra & cinis. Quid superbit terra & cinis?* Quid extollimur? *Puluis & vmbra sumus.*

Eccl. 19. Eccl. 10.

In hac cogitatione volutabatur assidue humillima puella, quæ nihil sic voluebat animo, quã vilitatem propriam, & primæuum puluerem. Hinc illa: *Ecce ancilla Domini. Respexit DEVS humilitatem*, id est, vilitatem ancillæ suæ. Et concinit hodie gratulabunda Ecclesia: *Gloriosæ virginis MARIAE ortum dignissimum recolamus, cuius Dominus humilitatem respexit.* At cur tantopere puluerem adamas sordium detestatrix

Gal-

Gallina? An vanitatis pruritum sentiebas, vt te scabere esset necesse? Absit, nulla intemeratã virginẽ, vel leuissimę ostentatiunculæ scabies, nulla iactantię infestauit scalpurigo. An plumas, pinnasq; adfectuũ supernorum emendare optabas? Neq; hoc necessarium cũ nullo rerum aliarum lentore grauarentur. An denique bestiolas prauarum cogitationũ excutere erat propositum? Sed nihil tale purissimam illã mentẽ inhabitat: nulla hic arrogantiæ, æstimationis nimiæ, superbiæ tentatio locum inuenie-bat. Sed nimirũ, amabas, quã Filio gratissimam fore non ignorabas, Humilitatem. Iam imitari iuuabat, quem humilẽ corde futurũ prænoscebas. Le-

geras despectum, & vt nouissimum virorum habēdum, qui primus erat cælitum; hominum & Angelorum Principem: hunc affectari submissione erat animus. At nullibi facilius, quam in puluere nihileitatis humanæ: nullibi commodius, quam in cinere mortalitatis inuenitur.

Atq; hæc alia est ratio, quā superioribus addo, cur in puluere sit frequens, eoq; delectetur Gallina: imo, & fimeto: scilic. inuenit ibi aliquid, quod frustra alibi quæreret. Hoc illi à natura datum, ne desit, quo sibi ac pullis prouideat: ideo enim terram, vnguibus scalpendo, & versando puluerem, concitat & fimetum fodicat, vt quæ ad victum sunt opportuna,

tuna, hinc petantur: quod illi contingit frequenter. Quid si etiam gemmam, quam non quærit, ruspando, inueniat? id accidisse aliquando perhibēt.

Nutriebatur demississima virgo Maria humilitate, tanquam maxime sapido, sibique conuenientissimo pabulo: hoc in puluere propriæ abiectionis latere suspicabatur: ideo consídere scalpurirationis vngulis illum scalpurire non desistebat, nec spe sua frustrata, abunde dedit illi terra vilitatis, & fimetum humani ortus, quo se laute pasceret. Quid? quod gemmam, in eodem reperit, eamque preciosissimam, qua rerum omniū æstimatorem accuratissimum ad se allexit. *Nam respexit is humilitatem ancillæ suæ.* Imitemur

mur *Gallinam* matricem: Si aſſ- bæ huius Gallinæ filii vocari o- ptamus. Stercorarium noſtrū, in quo concepti, in quo nati, in quo educati ſumus, & adoleſcimus, adunco cogitationis ſeriæ roſtello frequenter fodiſcemus. In fimeto noſtro: id eſt, noſtri notitia: quid enim aliud ſumus, quam fimetum niue obductum? quam ſaccus ſtercorum, ſed dealbatus? quotidianum quæramus, quo ſaginemur pabulum. Puluerem noſtrum, ex quo prodiimus, verſemus aſſidue, ortus, interitus, & conſummationis recordatione, quod nobis oppido eſt neceſſarium: Nos n. vanitatis vexat titillatio: nos æſtimationis propriæ prurigo exagitat: nos arrogantiæ impeti-

petigo,& fera ſcabies ſuperbię depaſcitur. Haberi volumus & videri, qui non ſumus, boni, probi, caſti, innocentes, docti, prudentes, magni. Iactitamus nos, de proſapia, natalium claritudine, fortunæ bonis, opibus, dignitate, animi dotibus, quas mendaciter nobis ineſſe fingimus. Honores captamus, dignitates ambimus, ſacerdotia ſimoniace mercamur, præeſſe per fas, nefaſq; contẽdimus, alta ſapim⁹, vilia temnimus, æquales deſpicimus: primos recubitus in cænis, primas cathedras in Synagogis, prima ſubſellia in templis, dignioribus præripimus. Quod remediũ ad moleſtiſſimam hanc, non tam carnis, quam animę pruriginẽ tollendam?

dam?versari in puluere. Sic se scabunt Gallinulæ. *Memento homo quia puluis es, & in pulue-rem reuerteris*, sic superbire desines. Aspice puluerem pedum tuorum: illud *Nihil* ex quo factus: illud *Nihil*, in quod resoluendus, mentis o-culis contemplare: eosdem in corporis cineres reflecte, pro-priæ excellentiæ præsumptio facile concidet. Puluis vilitatis propriæ, acer ac mordẽs super biæ maculas ac næuos & tuber cula exedit. Quid superbi-mus? Præter puluerem nihil su mus? in puluerem redigemur: vt puluis à vento, sic transferi-mur: omnis gloria nostra tan-quam puluis dissipabitur. Itaq; libenter ad *Gallinæ* Matris imi-tationẽ animas nostras in hoc pul-

puluere, in his sordibus humiliemus.

Sic quoque plumas, pinnasque contemplationis, quibus ad supera euolare, conamur, emendabimus. Vilitatis suæ consideratio, ad DEI contemplationem euehit. *Loquar ad DEVM*, aiebat summus contemplator, *quum sim puluis & cinis*. Ita pennas ad volandum aptabat Dauid, Dei auxilium implorans: *Memento quia puluis sumus* Ita, plumulas suas excutiebat, Iobus *Gallinæ* instar, in fimeto commorans, & terram suam scalpens. *Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, & in puluerem deduces me*. Si te, & vilitatem tuam sedulo consideraueris, facile ad DEI cognitionem peruenies:

Genes. 18. 28. ps. 102. 14.

Iob. 10. 9.

Nouerim me: nouerim te, aiebat, vir diuina pati solitus. Si in puluere & stercore natales tuos ruspatus fueris, intelliges
1. Reg. 11. 8. esse, qui *de puluere suscitat egenum, & de stercore pauperem eleuat*.

Hoc pacto etiam vt *Gallinæ* infestantes te assiduo bestiolas excuties. Pungit te inuidia, vt *Gallinam* pulex: remedium inuenies in puluere, in quo vermes emoriuntur. Vipera, & scorpio in puluerem redacti aduersus morsus proprios sunt medicamen. Nulli inuidebis, si omnium te vilissimum existimes, si nullum minus, quam te meritum arbitrabere: si te reliquorum, vt pedum puluerem ab alijs conculcandum abieceris. I-

rate

rate mordet, æmulatio exagitat, vindictæ cupido fodit? In puluerem te conijce, pulices hos dissipabis facillime. Cinis frigidus ignem extinguit: Iram cineris, in quem tandem desinet ille tuus fastus recordatio. At tumultuantur interius adfectus: & quietem turbant: bono animo:

Hi motus animorum atq; hæc certamina tanta Georg. 4.
Pulueris exigui iactu contacta quiescunt.

Itaq; cum *Gallina* mystica ponamus *in puluere os nostrum*, Thren. 3. 29. ibi ruspemur, ibi scalpamus, inde malorũ omnium remedia eruamus, fortasse & thesaurũ inueniemus: certe nunquam gemma aliqua deerit. Nam deco-

de cognitione vilitatis suæ, *mater salutis Humilitas nascitur* auctore Bernardo: & *timor Domini: qui sicut est initium sapientiæ, sic est initium salutis*, qua nulla est gemma preciosior. Sed quam vereor, ne multi, hanc parui æstiment, & vilissimum ventris pabulum illi anteponant: Quod nescio quem fecisse canit Apologus ex gallinaceo genere degenerem.

Serm. 37. in Cantic.

Dum rigido fodit ore fimum, dum
quæritat escam,
Dum stupet inuenta iaspide
Gallus ait:
Res vili pretiosa loco, nitidiq; decoris
Hac in sorde manens, nil mihi
messis habet.

reliquit igitur, & sordibus contentus, ijs se oblectauit. Nos alte-

alterius auidi pabuli in pulue-re abiectionis humanæ, & escam gratissimæ DEO virtutis quæramus, & Timoris vnionem si inuenerimus, inde reportemus, illius semper industrij imitatores, quam vt *Gallinam* puluere gaudentem descripsimus: vtinam eius quoque ceu Gallinæ in pullos adfectum, & tutelam mereamur.

Est enim is inter præcipuas *Gallinarum* dotes. Nam antequam illos pariant, ijs prouidere incipiunt. Quietum enim ad pariendum locum eligunt, & cubilia sibi nidosque construunt; eos autem quam mollissime substernunt, haud ignaræ, oua alioquin, facile collidi, si in loco minus com- *Gallinæ erga pullos amor.*

mo-

modo reponantur. Exclusos pullos illico pennis fouent, ne ab ambiente frigore, aut calore lædantur. Eos autem tanto prosequuntur amore, vt si noxium animal, miluus, aut mustela, vel maius etiam animal aliud insidiari animaduerterint, receptis eis, primum sub alarum vmbra, seu tegumento, sese acerrimas tutrices opponant, cum maximo clamore, hostibus pauorem incutientes, rostroque ac alis se defendentes, adeo vt mortem potius subire in pullorum tutelam, quam illis in discrimine relictis fuga salutem quærere malint.

Plutarch. li. de amor. par. erga l. Cerne, inquit, eleganter Plutarchus, de Amore parentũ erga liberos disputãs, quanta cu-

ta cura & sedulitate pullos cõ-
stodiant, & gubernent? Alijs a-
las, quas subeãt remittunt: alijs
dorsum, vt scandant, reclinãt:
neq; vlla pars corporis est, qua
nõ fouere illos, si possent, cu-
piant. Neq; id sine gaudio & a-
lacritate, qđ & vocis sono testa-
ri videntur. *a* Circos & accipi-
tres, cum de se agitur solisq; si-
bi metuunt, fugiunt tum qui-
dem. Si vero pullorum agmi-
ni ab his periculum verentur,
vindicare illud ab iniuria nitũ-
tur, & supra quam vires patiũ-
tur, sæpe dimicant.

a Sic lege. non vt vulgus, Canes & anguem.

Ob hanc causam ingeniosis-
simus Poëta Græcus Achillem
ob pericula & labores pro Grę-
cis ex singulari in illos bene-
uolentia exantlatos, *Galli-
næ* comparat, cui & illud
attri-

Achilles Gallinæ cõparatus.

Iliad. ι.

attribuit, quod se nutrimento priuet, vt pulli lautius victitent.

Ὡς δ' ὄρνις ἀπτῆσι νεοσσοῖσι προφέρῃσι,
Μάσταχ' ἐπεί κε λάβῃσι, κακῶς δ' ἄρα οἱ πέλει αὐτῇ.

Sicut autem auis implumibus pullis affert
Escam, postquam adquisiuerit: male autem est ei ipsi.

Quod sic explicat Plutarchus, Interprete Longolio: *Homerica auis sua fame paruulos natos pascit, & nutrimentum, quod ventri suo destinauerat, ore retinet, ne eo in vẽtrem delapso, in obliuionem ipsa deducatur.*

Sed melius fortasse conuertit Ornithologus: *Ventris sui alimentum tenẽs ore, abstinet tamen, & ne forte nolens etiam deglutiat, mordicus premit.* Oamo-

morem Gallinæ erga pignora flagrantissimum!

Sed æstuat magis sibi carissimorum Sodaliũ amore MARIA. Hos illa incredibili affectu ac beneuolentia cõgregat, fouet, pascit, nihilq́; , quod ad omnem commoditatẽ, & delitias pertinet, deesse patitur, suo etiam, si fieri posset, quod esse nequit, dispendio. Infelicẽ te Franconia, si tuis demeritis ac supina in cultu Virginis Deiparæ socordia, fortasse, & contemptu, audire cogaris ab amantissima suorum MATRE. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum Gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti. Ecce relinquetur vobis domus* Matth. 23. 37. *vestra deserta.* Felices autem vos, & fortunatos, Dilecti, quibus

bus blandissima voce singulos amplexando, & omnes protectionis suæ paludamento contegendo, dicere mihi videtur; *Ita vos collegi, vt Gallina pullos suos sub alas suas.*

ORA-

ORATIO QVINTA.

Symbolum V.

PHOENIX.

MARIA-CONcepta.

Ὡς Φοῖνιξ ἀνυψώθην ἐν κάδης:

Quasi Phœnix (Palma) exaltata sum in Cades. Ecclesiastici 24.18.

Mater admirabilis ora pro nobis.

OPINOR equidem ad vos aliquãdo, lectione vel auditione peruenisse HORTVM ADONIDIS, antiquitati celebratissimum. In eo admirãda mul- *Hortus Adonidis.*

multa visebantur: hoc vnum mihi in primis: quod flores omnes, & hortenses delitiæ illum Cinyræ, ac Myrrhæ filium apri fatalis dente, sub inguine percussum, interfectumque, atque ita, in primo ætatis flore, violenta mortis intempestiuæ falce præcisum referrent: Florem sane

Qualem, quæ lento celant sub
cortice granum
Punica ferre solent, breuis est
tamen vsus in illo.
Namq; male hærentem, & nimia leuitate caducum,
Excutiunt ijdem qui perfl. nt
omnia venti.

Rosa. Ibi itaque, quod pronum est concipere animo, regina florum, Rosa, granato cortice in virides alabastros fastigiato, &

to, & è calycis medio luteos vix ostẽtans apices, in felici festinatione marcescebat. Ibi Lilium, folijs foris striatis, & post angustã basim in latitudinem sese laxantibus, effigie calathi, resupinis per ambitũ labris, tenuiq; filo, ac semine stãtes in medio crocei, vix ambitiosius extulerat, & præcoci reuolutione, propere ad interitum deproperabat. Ibi violæ albæ, luteæ, purpureæ, statim, vt excreuerant, flaccessebant. Ibi hyacinthus, iris, narcissus, belle in areolis dispositi, vix di ei vnius solem aspexerant, & vertice in terram inclinato, esse desinebant. Ibi vites, mane luxuriãtes pampinis, meridie suaueolentibus opimæ flosculis, vesperi botris, vectẽ requirẽ *Lilium.*

 tibus,

tibus, onustæ, finito vix crepusculo, sub noctem carbunculo vel aranea excedente, iacebant ingloriæ: postridie non nisi ignibus aptum lignum, quod pridie vitis.

Ibi plantulæ ad oculorum lenocinium repente enatę, repente erucis sese immittētib. & omnia depopulantibus, verminabant, interibant. Ibi arbores, siue pomifera sobole fœcundæ, siue sola vmbra cōtentæ, momento citius, occulta aëris intemperie, exarescebant, quod arbor paulo ante lati folia, nunc stipes. Ibi herbescentium viridatem segetum, rorida matutini temporis benignitate euocatum, malignū mox auræ subsequutæ virus enecabat. Ibi lactescentes germinum

num momentaneorum oculos, & inuitatam fauentis astri clementia stirpium iuuentutem, intempestiue, sed certo cadens pruina iugulabat. Ibi fungi vna nocte excrementitia telluris prodigę protuberatione profusi, die nondum euoluto, lanuginis instar, dissipati, in paternas versi sordes, mærebant, ibi herba omnis solstitialis, vna luce ortum, interitumque celebrabat. Ibi mæstissimi concentus volucres, philomela, turtur, olor, tam improuiso sibi ereptum Adonidem, voculis ad tristes elegias, & epicedia dispositis conquerebantur.

Similis huic horto, est MARIANVS, quod quæcunque in illo visuntur, MARIAM, forma, *Hortus Marianus.*

cultu, voce referant. Dissimilis, tum, quod in illo nihil serebatur, quod fructum proferret: Sed illa solum, quæ oblectationi deseruiunt, vt fugacia, & euanida: in hoc sint fructuosa vniuersa. Tum, quod tristia ibi omnia, & mali ominis: hîc læta, ac felicia. Tum, quod in Mariano, non vno modo, Dominam repræsentent, quæ repræsentant omnia.

Aues Deiparæ imagines. Sed ille nos potissimum rapit Alitum chorus, suauiter occinentium, quem in HORTI huius, ex lauro Syluula, choreas agere, nũquam intercisâ gyratione, nuper narrabamus. Nam ab eo, DEIPARAM, siue stupescente mundo sancte conceptam: siue in

ue in lucem, plaudente vniuerso, innocenter editam: siue ab Angelo honorifice compellatam: siue incredibili demissionis adfectu Purificationis legalis ritibus se subdentem: siue Visitationis officio amanter perfunctam: siue ad superos, cum incredibili Cælitum gaudio, ac triumpho adsumptam, tanquam viuis simulacris exhiberi docuimus: sicque festa omnia MATRIS pręcipua Volucribus, vt Symbolis, iucunde denotari. Singularum nomina efferre iterũ nõ attinet, quod fecimus, cum Annunciatæ Columbam diceremus.

NuncPHOENICEM producimus. Quam fortasse quilpiam imaginem gerere dicat *Phœnix varie Virginis imago.*

Virginis caste concipientis, ideoq; *Annunciatæ*: memor illius quod habet Mediolanẽsis Antistes: Phœnicem coitus ignorare corporeos: libidinis nesci re illecebras: quod *Annunciatæ*, Verbum verbo concipienti accidit.

Ambros. in Psal. 117.

Alius in optima ætate defunctam spectans MATREM nostram, *Phœnicem* fors accerseret, quia longæuitatis Symbolum. Viuere quidem sexcentis sexaginta annis scribit Plinius, quingẽtis Ambrosius, & Hieronymus, post Herodotum, ac Ouidium, quadraginta, & quingentis Solinus, & Mela, mille Martialis: mille, quadringentis sexaginta apud Tacitum, quispiam magno anno apud Plinium, & Manilium: id est;

Vita Phœnicu Plin. 7. c. 47. Ambr. de fil. Resur. Hieron. Epist. ad Praes. Herod. l. 11. Ouid. li. 15. Aieta Solin. ca. 46. Mela lib. 3. Tacit. lib. 15.

id eſt, triginta annorum millibus.

An non dicere potuit optima Mater: *In nidulo meo maior, & ſicut Palma multiplicabo dies?* Quod Tertullianus legendum putat: ſicut *Phœnix*; eſt enim Græce, ὡς στέλεχος φοίνικος. Fœliciſſimam habuit ſenectam DEIPARA, fœlicem deinde tranquillamque mortem, vt *Phœnix* in rogo, ex thure, myrrha odoratiſque ſurculis compoſito, & radijs ſolaribus accenſo: ſic ipſa in amoris nido virtutum omnium apparatu extructo, & flammis caritatis incenſo, in medio Apoſtolorum, tāquam amātiſſimorum pignorū, parentis ſuauiſſimæ extremum haurire ſpiritum geſtiētium.

Iob. 29. 18. Tert. de Reſur. ca. 13.

tium, placidiſſime expirauit.

Rediuiua Deipara Phœnix.

Vix extincta, & iterum corporata; iterum rediuiua. Cerne illum alitem Orientis peculiarem de ſingularitate famoſum, de poſteritate mõſtruoſum, qui ſemetipſum libenter funerans renouat, natali die decedens: atque ſuccedens iterum Phœnix vbi iã nemo, iterum ipſe: qui non iã alias idem.

Tertull. lib. de Reſurrect. 123.

Quid expreſſius, atque ſignatius, ad *Virginis* vix defunctæ, redanimationem repræſentandam? Adde, funeris honores Phœnici peculiares, qui relictos cineres, è quib. ortus, myrrhâ inſperſos in templum ſolis aduehit, ibid. honorifice humandos. Eſt itaq; *Phœnix* Virginis *Annunciatæ*, *Mo-*

rientis, Rediuiuæ, & *Assumptæ* in Cælos Symbolum.

Hæc si mihi non probari ostenderem, næ contra mētem ire, nulla ad id cogente causa, temerarius conuincerer, falsitatis reus. Dissimulare tamen non debeo, magis mihi placere, si *Phœnix* non *concipientis*, sed *Conceptæ Virginis* similitudinem, pluribusque titulis habere adfirmetur.

Est autem prima comparationis ratio istiusmodi. Quod vt de nullius alitis conceptu maior est inter eruditos disceptatio, quam de Phœnicis: ita nullius conceptio, magis ab aliquot seculis doctorum, piorumque torserit ingenia, dissentiētib. acerrimo studio partibus, *De Phœnicis concepti & dubia.*

 tibus,

tibus, quam DEIPARÆ, de nullo eius mysterio maior, & magis litigiosa etiam num viget concertatio.

Veterum opinio. *Phœnicis* conceptum, ortumque celebrant, non profani solũ Poëtæ, Ouidius, Martialis: Claudianus; & Grammatici, Philosophi, ac Historici, Aristides, Horus, Artemidorus, Philostratus, Ælianus, Tacitus, Plinius, Solinus: sed & sacri vates, ac Patrum frequens Senatus: inter quos, Clemens Romanus, Epiphanius, Cyrillus, Naziãzenus, Ruffinus, Venãtius. Sed tam mirus quibusdam visus illius conceptus ac ortus, vt fabulosum nonnulli arbitrati sint. Quod non dissimulauit Plinius: qui, *Ante omnes*, inquit, *aues nobilem fert*

Plin. lib. 10. cap. 11.

Ara-

Arabia Phœnicem: haud ſcio an fabuloſe, vnum in toto Orbe, nec viſum magnopere. Tacitus quoque, incertum putat, & fabuloſis auctum miraculis, quod de *Phœnice* diuulgatur: adfirmatque, Principe Tiberio, & Coſſ. Paulo Fabio, & L. Vitellio, anno ab V. C. DCCLXXXVII. percrebuiſſe in Ægypto, viſum *Phœnicem*, poſt longum ſeculorum ambitum præbuiſſeque materiam doctiſſimis indigenarum, & Græcorum, multa ſuper eo miraculo diſſerendi. Sed quia in eo neque ętas, neque ſolum natale, neque alia multa congruebant, cum his quæ vetus memoria de *Phœnice* firmauerat, propterea exiſtimaſſe multos falſum fuiſſe *Phœnicem.*

Cornelius etiam Valerianus *Phœnicem* deuolasse in Ægyptum tradit, Q. Plautio, & Sexto Papinio Coss. allatusq; est & in vrbem Claudij Principis censura, anno Vrbis 800. ac in Comitio propositus: q; actis testatum est. Sed quem falsum esse *Phœnicẽ* nemo dubitaret.

Recentiorũ dubitatio. Recentioribus harum rerum curiosis eadem fere mẽs, Cardanus li. 10. de subtil. *Phœnicem*, inquit, *prædicarunt multi, fabulæ autem, quam veritati propiorem.* Pierius Valerianus libr. 20. Hieroglyphicor. de narrationis veritate ambigit. Quod facit quoq; Benedictus Pererius libr. in Genes. 11. disp. 11. & Vlysses Aldrouandus in Ornithograp. In horum censum

ſum venit Iulius Cæſar Scaliger: Exerc. 223. vbi quamuis fauere videatur hiſtoriæ de *Phœnice* ob *ſemendam* auem Indicam, *Phœnici* gemellã: mox tamen & huic fidem detrahit, propter additum: vt ait, fiſtularis roſtri mendacium, ſubſcribit iiſdem Martinus Delrio Tom. 2. Adagial. 16. Alii pro *Phœnice* pugnant, cuius cõceptum veriſſime narrari contendit Iacob. Pamelius in Tertullianum, qui Patrum auctoritate maxime nititur.

Quanta de vnius alitis conceptu lis eſt, & diſceptatio? Haud minor eſt, cum de conceptu Deiparæ agitur: lis maior, de re certo maiore. DEIPARAM in rerum natura extitiſſe nemo dubitat; neque in *Lib. de con. cep. B M. V.*

hoc cum *Phœnice* comparatur. Eandem in cælorum domicilio, immortali fruentem æuo agere, omnes asserunt. Conceptam, natam, denatamque tandē consensu cuncti ꝓnunciant. Verum n. vero quēadmodum tā admirandus est *Phœnicis* conceptus, vt cum ei⁹ modum, satis comprehēdere docti non valerent, de tota re dubitare inceperint, ac historiæ fidē eleuare: Sic, quia, quæ de *Deiparæ* conceptu tradunt, ita modum cōmunē superant, vt sint quid plane singulare, & inauditū, vacillare ceperint viri excellentissimi, non quidē de persona, ipsoq; conceptu (quod, fide salua, non licet) sed de modo, qui omniū admirationem prouocat. Vere MATER ADMIRABILIS. Il-

Illud enim in quęstione versatur. An sanctissima Christi Mater, ab omni labe noxę originariæ műda in conceptu fuerit. Hic diuisæ sunt Theologorum scholæ, imo pene orbis vniuersus, & tantum non de bello sacro cogitatű: quod nisi annis superiorib. in Bætica primum: mox per totam Hispaniam: deinde, gliscentibus diuersarum partiű factionib. in regnis, Siculo, & Neapolitano, Reges Catholici Philip. 3. & 4. ꝓ singulari suo, erga originalẽ Dei Matris sanctitatẽ adfectu, suppressissent, plura fortasse in sacris basilicarum cathedris, & exedris, Theologorum prælia, quam olim in Palęstina ꝓ recuperatione terræ sanctæ contigissent, magis haud dubie funesto, quã ibi pu- Status quæ.

gnatum est, exitu; maiori certe contentione & pertinacia, nec minori acerbitate concurrentium. Horum duplex est Legio. Vtraque profecto; fulminatrix, neutra cedere assueta: nam pro veritate se stare, tam hæc, quam illa, obstinatissime contendit. Adserit vna, conceptam in originaria culpa Mariam, sed mox sanctificatam. Negat altera ita conceptam: & adfirmat, præseruatã. Huic ego me adiunxi semper: & ad eius signa vos, ad vnum, omnes, iam dudum tralatos, si non dicto in hanc rem sacramento, sane voto, vel tacite, vel expresse nuncupato, nullus ambigo.

Phœnicis generatio. At insolens est, Adami sobolem, vitiatæ matris fætum, è

præ-

præuaricatricis Euæ posterita-
te hominem simplicem, à
Christo alium, sine noxa con-
cipi, Insolens fateor. Sed Phæ-
nicem intueamur, quam inu-
sitatus illius est ortus, quam in-
solens conceptus! Quæ diuer-
si Auctores fuse, ac per amba-
ges, ego compendio tradam,
vt nucleum, & medullam. *Phæ
nix*, auis semper vnica, post ali-
quot annorum centurias sene
scens, nidum parat ex casia,
thure, cinnamono, xylo-bal-
samo, tum alas concutit, & fæ-
cundum pectus pedibus ver-
berat: inde tanquam è silice,
post ferri ictus, ignis prosilit,
eo flagrat *Phœnix*: vritur: mori-
tur. Antequam cinerescat, nu
tu Numinis imber extemplo
decidens flammam extinguit.
Relin-

Relinquitur in nidulo exambustis carnib. quidpiam, quod miris, sed veris modis, eiusdemne, an alterius altis, certe *Phœnicis* est semen. Oritur ex eo Vermis: huic mox alæ, deinde corpulentia, post forma, tandem Phœnix: vbi iam nemo, iterum ipse: qui non iam, alius-idem. Insolens profecto concipiendi ratio. Attende locum, matrix est nidus ex odoriferis surculis: specta modũ, nihil hic nisi ignis. quis pater? quæ genitrix? *Phœnix*: alter idem: materia, cinis. Sic sine contagio, labe, impuritate, oritur, vt antea, *Phœnix*.

Deipara cõceptus naturalis.

Iã vero, CONCEPTIO DEIPARÆ naturalis quidẽ fuit, in matris aluo, ad instar cæterorum hominũ) nec de hoc laboratur) sed in eo cum *Phœnice* est

affinitas: quod tam à contagione, si animam spectes, omnique maculæ turpitudine, aliena edita fuerit, quam si in nido ex casia, thurisque surculis cõcinnato, ex suis ipsa cineribus concepta esset. Vel, quod de *Phœnice* Mela scribit. ipsa se cõcepisset, ex se rurs⁹ nata: vel, q̃ mihi mirifice ꝓbat, ac si, vt prima mulierũ, ex se altero figurata esset, caro de carne, costa de latere virago de viro, tanq̃ decidua, & mutatitia sui pars; Nec n. maior in Eua matre nostra fuit puritas, primo ort⁹ momento, quam in MARIA: in hac gratuita maior gratia.

Hic mihi in mentem venit consilium religiosissimi Ducis Iudæ Maccabæi, qui, vt est in historia Maccabæorum, elegit

Maccabæus altare holocausti renouans. Lib. 1 c. 4. 42.

legit ſacerdotes, ſine macula, voluntatem habentes in lege DEI, & mundauerunt ſancta, & tulerunt lapides contaminationis in locum immundũ. Et cogitauit de Altari holocauſtorum, quod profanatum erat, quid de illo faceret. Et incidit illis conſilium bonum, vt deſtruerent illud, ne forte illis eſſet in opprobrium, quia contaminauerunt illud Gentes, & demoliti ſunt illud. Et repoſuerunt lapides, in monte domus in loco apto, quouſq; veniret Propheta, qui reſponderet de iis. Et acceperunt lapides integros ſecundum legem & ædificauerunt Altare nouum, ſecundum illud quod fuit prius.

Deipara altare holocauſt.

Quid hic myſterii? liceat mihi per

per vos myſticis indulgere ſenſibus, qui litterali minime aduerſentur. Profanatum erat auguſtiſſimum vniuerſitatis templum, illo Salomonis longe diuinius: hoc eſt, quotquot in mundo homines in Dei templum extructi: Vt a. illud mundaret, viſum fuit ſatis magno Principi, à peccati Originalis contaminatione, baptiſmalibus vndis inductis eluere. Verum, vt ſanctificaret Altare holocauſti æterno Patri offerendi: id eſt, Virginem DEIPARAM, ne forte eſſet in opprobrium, vt more noſtro loquamur: Nimirum, ne DEI Mater aliquando impura, infecta, immunda fuiſſe diceretur; quid faciundum ſtatuit? ſcilicet, vt mulier oriretur, quæ

Mater

Mater DEI fieret, tam munda, tamq; immaculata, quam quæ pri⁹ fuerat, hoc est, quam Eua: cuius absque vlla peccati macula origo constiterat. Quod fieri haud potuisset, nisi ipsa, vt *Phænix*, inusitato reliquis more, concepta, prodisset in lucem.

Deipara vt Eua a conceptu munda.

Et par erat, vt Mater-viuentium, non minori, quam morientium, priuilegio donaretur: Adamque cœlestis, non minus, quam bliteus ille noster è terra, nondum maledicta, prosiliret. Quo pacto philosophatur Andreas Apostolus, vt referunt Presbyteri Achaiæ in eius Actis. *Sicut de terra*, inquit, *immaculata factus fuerat primus homo: ita*

ita necesse erat, vt de immaculata Virgine: id est, terra non scabra, neque maledicto infelici, Christus nasceretur.

Sed enim, quicquid tandem ingeniose excogitetur, & proponatur erudite, nunquã persuadebis rationib. in Theologica officina procusis, non aduersari magis conceptum Virginis sine peccati næuo, quam eiusdem leui aliqua macula inspersum. Quid enim? Obiectiones contra concep. immac. B.V.

Primo. An non scriptura diuina, vniuerse absque vllius exceptione, pronunciat. Ad Rom. v.12. In quo omnes peccauerunt? Primæ ad Cor. 15.21 *In Adam omnes moriuntur.* Secũdæ ad Cor. v.14 *Omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus*

tuus est Christus. Quibus ita premebatur Thomas Aquinas, vt generatim scriberet, Quæst.4.de Malo. Art.6. Errorem esse, aliquos ex Adamo genitos per seminalem generationem immunes facere ab originali peccato.

Secundo. Annon Christus est Vniuersalis Redemptor omnium hominum? Ergo etiã redemit Virginem-Matrem suam. Non potuisset autem redimere, nisi fuisset in seruitute peccati. Itaque reuera fuit. Quod sumpsimus, in prima propositione, diuinis oraculis roboratur. Secundæ ad Cor. 14. *Pro omnibus mortuus est Christus.* Primæ ad Timoth. II.6. *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.*

Ter-

Tertio. An non peccati Originalis pœnæ adfixæ fuere sacratissimæ Virgini? Quænam illæ? morbus, mors, corporales molestiæ. Ergo, & peccatum. Quia pæna supponit culpam. Huc spectat illud Pauli ad Romanos v. 12. *Per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors.*

Quarto. Si non contraxisset Originale peccatum Maria & mortua fuisset ante Christum, statim ad DEI visionem beatificam fuisset admissa, quia nullum erat impedimentum. Hoc Theologus non admiserit, cui certum, ad munus Redemptoris Christi pertinuisse, aperire ianuam regni cœlorum.

Quinto: CHRISTI fuit singula-

gulare, non vllius alterius priuilegium, absque originis contagio, concipi, quod illa sonāt: Lucæ 1. 35. *Quod nascetur ex te sanctum.*

Sexto: Prædestinatio & Reprobatio hominum facta est ex præuisa massa perditionis, vt frequenter Augustinus disserit. Itaque Prædestinatio DEIPARÆ supponit, illam latuisse in massa peccati fermento acida.

Septimo: An non Pius V. Pontifex opt. Maxim. antiquari voluit, & excesse è libris Ecclesiasticis, officium propriū conceptionis, quod auorum memoria canebatur: atq; id ob eam causam, quia in illo B. Virgo dicebatur *Immaculata*, & PRÆSERVATA?

Au-

Audio, & vix me contineo, quin exclamem:

Quantum est in rebus inane!
Sunt multa fucis illita, quæ luce
purgentur scholæ,

Aduola PHOENIX. Cur non properas? vereri dicitur. Siquidem rationib. validis, multis apodicticis vniuerso excluditur. Summa est. Si admittatur *Phœnix* multa contra Philosophorum probata axiomata concedenda sunt: quæ Sophorum vulgus repudiat.

Argumenta contra Phœnicem.

Primo. Vnius speciei perfectæ, vnum tantum erit indiuiduum, ingens absurdum: & plane ἀδύνατον. Quasi in beatis illis Mentibus, à corporea concretione solutis, plura sint sub specie qualibet indiuidua. Periculum est, ne

Satisfit obiectionib. contra immac. concep

Michael, Gabriel, Raphael, ſingula indiuidua, ſub vnica ſpecie extra vniuerſum relegentur ob philoſophica axiomata. ſub ſole etiam plura concedantur ſingularia, vt ſaluetur philoſophica dignitas.

Secundo. Idem naturaliter cum plane ſit mortuum, reſurget, ſic à priuatione ad habitum daretur regreſſus. At nego hic eſſe omnino idem materia ac forma, idem indiuiduo, quænam igitur hic abſurditatis vmbra?

Tertio. Si nũc ſupereſt *Phænix*, cogar dicere, ſpeciẽ integrã interiiſſe. Sed quid me cogit dicere, non ſupereſſe *Phænicem*? cur negem alicubi viuere? niſi fortaſſe auceps vniuerſalis, mundi totius caueas, auiaria

ria, ſyluas, nidos, perſcrutatus, iuramento interpoſito, adfirmarit, vbique viuere deſiiſſe Phænicem. Non maioris eſt operæ, mihi credite Sodales, ratiunculas contra immaculatum DEIPARÆ conceptum adferri ſolitas, quam hęc contra *Phænicem* irrita Philoſophantium acumina contundere. Nam

Primo. Detur B. Virginem peccaſſe in Adamo, & mortuam eſſe. Non idcirco in ſe peccatum ipſa contraxit; ſiquidem in conceptionis momento ſanctificantis gratiæ dono, DEO benigniſſime indulgente, fuit præſeruata.

Secundo. Chriſtus fuit vniuerſalis omnium Redemptor: atque illa ipſa ſua Redem-

ptione perfecit, vt Mater sua non contraheret originalem culpam, ad quam contrahendam erat obnoxia. Itaque præuenit illam DEVS in benedictionibus dulcedinis. Præseruauit: non sanauit, quippe medicinæ curatiuæ non erat indiga, quam præseruatiua roborarat. Nec sane apud bonos Theologos, Præseruatio ab Originali Redemptionem excludit: cum non excludat pręseruatio ab actualib. quam omnes Deiparæ adiudicant.

Duplex n. est Redemptio. Vna, qua quis liberatur à malo, & captiuitate, in quam incidit, altera qua præseruatur, ne incidat. Hic autem redimendi modus est excellentissimus. Quocirca in iustificatio-

nis.

nis negotio extollitur à Doctoribus ſaluandi ratio ac redimendi, per præſeruationem, qua peculiaria quædam ſubſidia offerũtur ſaluandis, ne præcipites ruant. Prodidit hoc arcanum antiquiſſimus Theologorum Areopagita, qui lib. de diuin. Nominibus. cap. VIII. DEO adſcribit, tanquam nobiliſſimum ſaluandi, ac redimendi genus, eripere & liberare ſingula à deterioribus, conſeruando, nec permittendo cadere vt vltra non ſint.

Agnouit idem Theologiæ ratiocinatricis Princeps Auguſtinus, qui lib. de S. Virginit. cap. 41. differens de Simone, & Magdalena, cui dimiſſa ſunt peccata multa, quoniam dilexit multum: *Cautius inquit,*

quit, ac verius cogitabit, omnia peccata sic habenda, tanquam dimittantur, à quib. DEVS custodit, ne committantur.

Idem, Enarratione in Psal. 85. explanans illa vatis, *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*, docet, Prophetam dicere se liberatum à pœnis inferni, quia liberatus sit à talib. peccatis, per quæ potuisset, ad illa supplicia, condemnari. Declarat id exemplo Medici, qui consilio, purgatiunculis, pharmacis, præscriptis ante morbum, liberasse, ac saluasse dicitur sibi commendatum, non ab ægritudine in qua erat, sed in qua futurus erat. Adiungit exemplum Patroni, aut Fideiussoris, qui reum mittendum in carcerem, aut suspen-

ſpendendum, patrocinio, vel debiti ſolutione præliberat. *In his omnibus (inquit Auguſtinus) non erant: ſed quia talibus meritis agebantur, vt niſi ſubuentum eſſet, ibi eſſent, inde ſe recte dicũt liberari, quo per liberatores ſuos, non ſunt permiſſi perduci.* Eodem ſenſu DEO gratulatus putatur Rex Dauid, aut ſibi potiꝰ, DEO gratias agens. *Quia redemiſti Dauid ſeruũ tuũ de gladio maligno* Pſal. 143. 10. intelligit nimirum, gladium Goliæ, aut Ieſbibenoch. vnde chaldaice apud Nebienſem eſt: *A gladio prauo Goliæ*: à quo redemtum ſe prædicat, quia præſeruauerat illum DEVS, ne vulneraretur, & ſuccumberet.

Non laudauit idem ſecre-

tum Theologiæ Myſticæ ſummum Magiſtrum, Bernardum, qui ſentiebat, Chriſtum Angelis quoque fuiſſe Redemptorem. Quod eleganter exprimit, ſermone 22. in Cantica. *Qui erexit hominem lapſum ſtanti Angelo dedit, ne laberetur. Sic illum de captiuitate eruens: Sicut hunc à captiuitate defendens. Et hac ratione fuit æque vtrique redemptio, ſoluens illum, ſeruans iſtum.*

Bernardo conſentiunt non infimi ſubſellii Doctores ſcholaſtici, qui fidenter adfirmant; Angelos Chriſti meritis redemptos, non à peccatis, quibus fuerint contaminati: Sed per præſeruationem, ſeu præuentionem: quatenus

iis profuere, vt peccata, in quæ lapsi plurimi, vitarent. Potuit enim DEVS (vt ratiocinatur Valentia, huius sententiæ assertor,) quia omnia in conspectu simul ab æterno habuit, moueri Christi meritis futuris, vt gratiam conferret Angelis, per quam starent, cæteris cadentibus. Quod is auctoribus Cyrillo, Hieronymo, Theodoreto, ac Bernardo se tueri contestatur. *Valentia Tom. 4. Disp. 8. Punct. 3.*

Quibus adiunge Fulgentiũ lib. II. ad Trasimundum c. 3. vbi concinna est hac de re isthæc sententia. *Vna est in vtroq; gratia operata: in hoc, vt surgeret: in illo, ne caderet: in illo ne vulneraretur: in isto vt sanaretur: Ab hoc infirmitatem repulit:*

illum infirmari non siuit: illius esca, istius medicina. Nec minus concinne Bernardus Tractatu de diligendo DEO: *Qui hominibus subuenit in tali necessitate, seruauit Angelos, à tali necessitate. Et qui homines diligendo tales fecit, ne tales remanerent: ipse æque, diligendo dedit & Angelis, ne tales fierent.*

Applauderēt his dubio procul expertissimi Medici, quibus maximopere probantur suæ disciplinę periti, si p̄cauere possunt, ne infirmitatib. tentētur, qui ad illas sunt proni, certo certiꝰ succubituri, nisi p̄muniātur. Illorum est effatū optabilius esse, non ægrotare, quā conualescere. Non vulnerari, quam, post vulnus sanari. *Non vulneres me malo,* inquit Seneca

quam

quam sanes. Nunquam cicatrix nisi collata vulneri placuit. Nimirum, vt ibi notat vir doctus: per se non placet, sed comparatione placet. *Vulnus ita coiisse gaudemus, vt non fuisse mallemus. Post plagam acceptam, sanatio in ambiguo est: sequitur dolor, manet deformitas.* Quapropter sapienter monuit Ecclesiasticus: *Ante languorem adhibe medicinam:* nempe *præseruatiua.*

Seneca li 6. de Benef. c. 26. I. Lips.

Ecc. 8. 20.

Quod ad animorum morbos transfert D. Basilius, laudatque Mosen, eiusque cæleſtem Magiſtrum, quod more excellentis Medici, prauarum cogitationum morbum anteuerterit illo præcepto; *Attende tibi ipsi,* ne quando fiat verbum occultum in corde tuo

Basil. Homil. Attende tibi.

iniquitas; *Quemadmodum*, inquit, *rei medicæ experientissimi imbecilliora corpora multo ante morbum præmuniunt præseruatiuis, & salutaribus monitis: ita ille prouidus, communisque curator ac verax, cumprimis animarum* Medicus, *qua nos videt parte ad peccatum proniores, hanc anteuertit, vt fortiore quopiam antidoto præseruatorio præmuniret.*

Collat. XI. ca. 16. Commẽdat hanc industriã in eremi cultoribus Cassianus. Illi enim, vt solent peritissimi Medicorum, non solum mederi præsentibus morbis, verum etiam futuris sagaci peritia occurrere; easque præceptis; vel poculis salutaribus præuenire: ita emersuras valetudinis cordium, spirituali colla-

collatione, velut cælesti anti-doto præcauebant. Nimi-rum, haud ignorabant: opta-bilius esse, non labi quam re-surgere, & gratiores esse Me-dicos, qui præseruant à mor-bis, quam qui sanant ægros. Et nonne, vt præclare dixit M. Tullius, *In quocunque aduerso euentu maximi omnino consilij est, prouidere ne quid tale acci-dat.* Denique, & illud rece-ptum est apud omnes: Diffi-cilius esse, sed & minus glorio-sum, res lapsas restituere in in-tegrum quam sustinere laban-tes. Ita facilius esse, ad virtu-tem instruere nouos milites, qu m reuocare perterritos, docet militaris disciplinæ for-mator Vegetius. Quæ eo spe-ctant omnia, vt demonstre-

Philipp. 11.

Lib. 3. ca. 25.

mus

mus Christum potuisse esse, dicique *Saluatorem*, & *Redemptorem* suæ Genitricis, quamuis illa peccatum nunquam incurrerit, immaculata in conceptu, non purgata, sed præpurgata: non sanata, sed præseruata, non lapsa, sed ne laberetur, præuenta, quod nobilissimum est saluandi, ac redimendi genus.

Tertio. Pœnæ quædam peccati fuere in B. Virg. vel quia peccauerat in Adamo: vel quia ex peccato primi Parentis in totam posteritatem deriuatę omnibus, ne quidem Christo excepto, fuere communes.

Quarto, si fuisset mortua bona Mater ante Christi obitum, expectasset in limbo do-

nec Dominus, qui habet clauem vitæ, ac mortis, aperuisset ostium regni, occlusum ob peccatum Adæ, in quo B. V. peccauerat.

Quinto. Fuit priuilegium Christi, quod ex vi conceptionis suæ nasceretur Sanctus. Id virgini non conueniebat, nec vlli purorum hominum.

Sexto. Prædestinatio est quidem facta, ex massa corruptionis per peccatum Adami; non per peccatum Originale actualiter contractum à singulis. Intelligunt, quod dicimus, Theologi.

Septimo. Falsum est, PIVM V. mutasse officium conceptionis, quasi aliquid falsi in eo contineretur, sed quoniam pro-

propositum illi erat, reuocare officia diuina ad antiquũ morem: Ideoque B. Annæ, ac Rochi peculiaria sustulit.

Ratio pro Phœnicis existentia.

Hæc ad aliorum argutias dissipandas valere, seu ad hominem vt in scholis loquimur inquis. Attamen, vt ad probãdum, esse in rerũ natura *Phœnicem*, nulla satis idonea suppetit ratio, præter incertas quorundam sibi sapientum auctoritates: Ita fortasse mihi obiicis: Eleuari posse aduersariorum inuenta: nostra stabiliri ratione non posse. Itane? ad *Phœnicem* prouocas? admitto appellationem, vadimonium offero. Iudicem posco, nemo, præter vos comparet, Sodales Parthenij: vos itaque iudices æquissimos nomino, magni

gni huius veri diribitores. attendite.

Dic, quęso te, bona fide, existimasne reperiri argumentũ aliquod, quo, exclusa reuelatione diuina, q̃ in sacris paginis hæret, probetur, dari in rerum natura spiritus quosdam puros homine superiores, quos Angelos dicimus: Quid hæres? agnouit illos Aristot. & vocauit intelligẽtias orbiũ cęlestiũ motrices: agnouit Plato: agnouit Mercurius Trismegistus, alij pmulti, non nisi naturæ manuductione. Multas ad id ꝓbãdũ rationes congerit Doctor Angelicus li. II. contra Gent. c. 46 vna maxime celebrat, q̃ vocãt Philosophorũ formula, à priori. Vtrũ sit efficax alibi disputo. Possibilis est substantia spiritua-

Argumentũ quo probantur esse in rerũ natura Angeli.

tua-

tualis creata, completa. Ergo facta est, & in vniuerso existit. Cur enim desit hic gradus substantiæ mundo, qui à DEO perfecte conditus est. Hanc si *Phœnici* accommodaueris, adiunxerisque, tantam tamque densam nubem, de illa, quod in rerum sit natura, asserentium, si ad certitudinem aliquid, sane ad probabilitatem quid desideretur, non video.

Argumenta pro immaculata B. V. Conceptione.

Sed infinitis partibus firmiora sunt, quę pro immaculato Dominæ N. conceptu proferre licet. A *Phœnice* illud. Dei perfecta sunt opera creationis Iustificationis, Glorificationis In creatione ad exhibēdā pfectionē creatoris, & operis, facti sunt ōes entiū gradus primarij sum̄a rerum genera, substātiæ

corporeæ: corporũ expertes: cõposita, mixta, simplicia, animãtes, ratione p̃ditæ, ratione carẽtes: formæ materiæ adfixę & à materia liberæ: species sub generib. indiuidua sub speciebus innumera. In Glorificatione erit luminum, graduũ, præmiorum mira diuersitas.

Cur deficiat in Iustificatione? In qua si peruideas singula animaduertes, vnum gradũ illorum, qui in fine vitæ copiose ea fuere perfusi, vt accidit Latroni. Alterum eorum, qui in vitæ medio sanctificantur: quales Magdalena, Matthęus, Paulus, alij permulti. Quorũdam, sed pauculorum, qui nondum nati, in gratiã fuere recepti: inter quos, Ieremias, & Baptista. Vnus pfectionis gradus superest,

est, possibilis quidē, vt *Phœnix*, qui inferiores omnes in se cōplectitur: *Præseruari à maledicto.* cur hic desit, cum perfecta sint DEI, nō minus iustificantis, quam creantis, opera?

Sed magis premit quod sequitur. Potuit fieri, vt sanctissima Virgo conciperetur sine originalis peccati macula, nulla enim in hoc est repugnantia. Fuit perquam decens, vt ita fieret, quum futura esset Maria, Mater Dei, superans homines omnes ac Angelos dignitate. Hi autem & illorum primi ꝓgenitores ꝓducti fuere in gratia. Porro Patres, Scholastici, Ecclesia, fidelium conspiratio insinuat ita factum esse: quid nos tricamur?

Patres pro immaculata concept.

Stāt ab hac parte, ex Latinis, Pa-

Patres. Hieronymus in Psalm. 77. Augustinus lib. de natura & gratia, cap. 36. libr. 5. contra Iulianum, cap. 15. Sedulius lib. 2. Operis Paschal. Auctor sermonum de Natiuitate Christi apud Cyprian. Idiota expresse in lib. Contempl. de B. V. ca. 2. & 6. Tom. 3. Biblioth. S. Bruno in Psalm. 101. Petrus Damiani serm. de Assumpt. Fulbertus Carnotensis apud Petrum Canisium lib. 1. Marial. ca. 7. Nominatur etiam merito Gregorius lib. 1. Reg. cap. 1. Rupert. in cant. Anselm. de conceptu Virginali c. 8. & in ca. 1. Epistolæ 2. ad Corinth. Ambrosius sermone 22. in Psalm. 118. Ildefonsus de Virginitate Mariæ. Tom. 9. Biblioth. PP. Ex Græcis, potissimum Sophronius Patriar-

triarcha Epistola ad Sergium Constantinopol. in 6. Synodo Act. 11. Ioannes Damascenus, orat. 1.

DD. Scholastici pro Immaculata Concept. B. V.

E Scholæ Doctoribus, qui hoc tuentur dogma, agmen ducit, ob id, æterna dignus memoria Ioan. Scotus in 3. distinct. 3. Q. 1. & dist. 18. Q. vna. Thomas Argentinas in 3. dist. 3. Q. 1. Art. 1. Marsil. in 11. Q. 4. Art. 1. Gabriel in 3. dist. 3. Q. 1. art. 2. concl. vna. Almainus distinct. 3. qu. 1. Carthusian. ead. dist. §. *verumtamen.* Ioan. Gerson Epist. de susceptione humanitatis veritate, quæ est in Alphabetho 15. litt. q. & sermone de conceptione V. Mariæ, Alphabeto 47. litt. l. Abulēsis Paradoxo 1. cap. 21. in Prologo Biblior. cap. 6. & in ca. Exo. 34.

Qu. 8.

Q.8.Nicolaus de Cuſa lib. Exercitationum 5.cap. *cui Tit. Ex Sermone. Cœlum & terra tranſibunt.* Et lib.8.capit.cui *Titul.* 2. *ex ſermone, ſicut Lilium inter ſpinas.* Ludolphus Carthuſianus in vita Chriſti,1.p.cap.11. circa mediũ. Aloyſius Lipomanus Catena in Gen.ca.15. Iacobus de Valentia in Pſalm. 13. & Pſ. 47. Ioann. Driedo libr. 3. de Reg. Sacræ Script.cap.4. Tractatu 2.Parte 1.ſententia 6.fol. 127.pag.1. Galatinus, libr.7.de Arcanis à capit. 5. ad 11. Clitouæus, in c.11.lib. 3. Damaſceni de fide. Viguerius in Inſtitution.cap. 18. §. 6. Ambroſius Catharinus opuſc. de hac re. Andreas Vega, li.11.in Triden. cap. 6. Corduba lib. 1. Qu.44. Laurent. Iuſtinian. Sermone

N de

de Annunciat. Robertus Bellarmin. in cõtrouersijs Tom. 3. Francisc. Suarez Tom. 2. in 3. part. disp. 3. Gabriel Vasquez 3. P. disput. 118. Ioan. de Carthagena in Homil. de arcanis B. V. Petrus Canisius in Mariali. Cornel. Scultingus in Bibliotheca Ecclesiast. Tom. 2. Petrus Anton. Spinellus in Throno-Deiparæ c. 7.

Theologi huius aui. Denique, seculi huius omnes Theologi, si familiæ Prædicatoriæ Doctores nõnullos excipias: cui se, hoc titulo opposuit, in Hispania maxime, & Romæ, laudatissimus D. Francisci ordo Seraphicus. E quo ꝓpterea, Philipp. Rex Catholicus, elegit duos pręclarissimos viros, olim in ordine Generalatus dignitate cõspicuos, postea Episcopos, *Frãcisc. à Sosa*, O-

xoniēſem, quo vita functo *Anton. à Treio*, Carthaginēſē, quos legatos ſuos extraordinarios eſſe voluit, & in Vrbē deſtinauit, vt cū Pōtifice ſeriò ſeduloque agerent, de definienda cō trouerſia IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS. Ibi quid perfectum, fuiſe, ac ordine temporum narrat Lucas Waldingus, religionis Seraphicę, & Oratoris nominati Theologus, integro de hac re libro, qui hoc anno in lucē ꝓdijt. Eūdū lego, co- *An. 1624.*
gor credere, ꝙ dixit Corduba, videri ad immaculatam Virginis conceptionem tuēdam conſpiraſſe omnes fideles: vt ſine magno populi ſcandalo, nemo oppoſitam poſſit in cōcionibus exponere.

Vtrumq; experta eſt Hiſpa-

Tumultus in Bætica ob conceptum Immacul. V. M.

nia in proximo ob hoc Myste-riũ tumultu. Res ita habet. Nouẽ ab hinc annis, *Franc. à Sãt-Iago*, seu D. Iacobo, Minorita, vir singularis pietatis, & ꝓbatæ sã-ctimoniæ, ac Margaritæ Austriacæ Philip. III. Cõiugis in asceticis Magister, p̃monitus, & accepto in rei fidẽ annulo (vt piorũ grauiumq; virorũ habet te-stimoniũ) à Diua Virgine Guadalupẽsi, siue, ad aquas Lupias de futuro post annos aliquot, nõ tamẽ absq; contradictione, & magnis motib. incremẽto venerationis ac cultus erga suam immaculatam conceptionem indefessum se p̃buit huius venerationis promotorem, agit-que Hispali potissimum, vt id persuaderet, excitatis in id stu-dium

dium nobilissimæ illius Ecclesiæ Canonibus Capitularib. & Ill. *Petro de Castro* Archiepiscopo. Deinde, Madridi Philippo III. prædixit sub eius dominatu, vltro citroque dilatandam hanc piam credulitatem, illiusque firmandam præsidio, quo ne propitius adesse negligeret solenniter & veluti ex sacro oraculo commonuit: cui Rex opem operamq; omnem suã ad sanctitatem primordialem DEI-paręe promouendam, addixit.

Opposuerunt se aduersæ partis homines, fremente populo, cuius in Hispania ϸręsertim, is est in D. V. adfectus, ea concitatio animi, & feruor, vt facultates omnes, sanguinem, & vitam, libẽtissime, ac libera-

lissime pro defendendis MARIÆ priuilegijs, aut minimo Elogio ꝓfundere nõ recusent. Prodigos opum, & vitæ homines in MARIÆ gratiam asserentes, si, quæ contẽpserunt pericula, ꝓpter Mariã: si, quas subierunt molestias, passi calumnias, si, quas deuouerũt hunc in finem facultates, & erogauerunt opes, vt MARIÆ puritatem defendẽtib. auxilio essent coram aspexisses.

In omnibus Ecclesijs, tam maioribus, quam inferioribus in religiosis domib. & alijs quibuscunq;, integris annis, magnis impensis factis, cultus hic ꝓmouebatur, & continuæ de MARIÆ cõceptione instituebant festiuitates, ita, vt omnes in hãc solam transiuisse videri

pos-

possent. Nec enim erat Sancti, aut festi solennis memoria, in qua præcipue de MARIÆ Vir. sanctitate originali non ageretur, & doceretur in suggestis, & conclamaret in plateis: VIVAT, VIVAT MARIA IMMACVLATE CONCEPTA.

Obsistebant interim aduersarij, quo magis animabantur cultores Virginis: & Bætica egressi, vicinis Ciuitatib. & regnis auctores fuere, vt nouas nouenarias (tot n. dieb. circũscribebat festiuitas conceptæ) solẽnitates colerẽt. Id factũ, erectis vbiq; trophæis Marianæ de originali peccato victoriæ, plateãrũ exitus, vicos, publicas vias, cõpita, tẽplorũ frõtes, regiarũ valuas hoc obsignãtes capitalib. literis elogio, Maria cõ

CEPTA SINE PECCATO ORIGINALI. Vna erat totius Hispaniæ vox: idē ciuitatū, & populorum cōsensus, ac cōcentus; nulla vnquam fœdatam macula MARIAM.

Sed quo magis hæc fama increbescebat, & augebat populorum cōspiratio, & magis maculati cōceptus patroni suam inculcabant sententiā, & communem receptamque doctrinam impugnabant, lacerabāt, exprobrabant. Res erat plena
Ann 1617 periculi, & scandalorum. Qui-
31. Aug. bus motus Paulus V. P. M. sub grauissimis pœnis sanciuit, ne quis in publicis concionib. lectionibus, conclusionibus, & alijs quibuscunque Actib. publicis asserere audeat, B. V. M. fuisse cōceptam cum peccato origi-

originali: Quod Decretũ Gregor. 15. extendit ad ſcripta, & ſermones etiam priuatos. Vt nõ liceat in ſermonibus quoq; & ſcriptis priuatis hoc aſſerere aut de hac opinione affirmatiue aliquo modo agere ſeu tractare. Indulſit tamen poſtea idem PP. Patribus Dominicanis, vt inter ſe, & priuatim de ea poſſint agere, ac diſputare. At mirum eſt, dicis, nulla in Codice ſacro, & diuinis oraculis ad cõceptionẽ Deiparę immaculatam ſtabiliendã reperiri pręſidia. Et hic mihi *Phœnix* iterũ obuerſatur, cuius incredibilẽ alijs conceptum, vir grauiſſimus & Sanctiſſimus Ambroſ. lib. de fide reſurrectionis relatione crebra, & per ſcripturas, ſe cognouiſſe audacter aſſerit.

An. 1622. 24. Maij.

An. 1622. 28. Iulij.

S. Script. teſtim. pro concept. immaculata B. M. V.

Pro Phœnice.

Nimirum respiciebat, vel ab illud Iobi 29. 18. ὥσπερ στέλεχος φοίνικος πολὺν χρόνον βιώσω. *Sicut Palma*, φοίνιξ *multiplicabo dies meos.* Aut ad illud Psalmi 91. 13. Δίκαιος ὡς φοίνιξ ἀνθήσει, *Iustus ut Phœnix florebit.* Nam Græca vox tam alitem quam *palmam* arborem significat. Quod si iustus ibi comparetur aliti, quis *Phœnicis* historiam in dubium reuocet? Et tamen, quot hæsitant? Scilicet, cum non sint tam manifesta isthæc oracula, vt aliũ intellectum refugiant, dubitare nil vetat.

B. Virgo Lilium inter spinas.

Idem *Phœnici* nostræ euenit, cuius purissimo conceptui haud paulo plura, quam *Phœnicis* alitis patrocinantur. Quã illa sunt, in hanc rem illustria?

Sicut

Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Cant. 2.1. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Cant. 4.7. *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.* Ps. 45.5. Quam illud neruosum, & pene apodicticum? *Inimicitias ponam inter te & mulierem.* Gen. 3.15. Scilicet, magnæ fuerunt inter Mariã & serpentem inimicitię, si aliquãdo fuit originalis peccati merito, Cacodęmonis mancipiũ, horresco referẽs. Nõ fuisset inimica si subdita: fuisset subdita, si natalitiũ peccatũ cõtraxisset. Nõ tota pulchra, si maculata, & morbida hæreditaria labe. De Deipara canit Ecclesia, vel ipsa potius de se: *Quasi palma exaltata sum in Cades,* Eccle. 24. 15. Græce, ὡς φοίνιξ ἀνυψώθην

 ἐν κάδης,

ἐν κάδῳ. At quoniam, & hæc apud Orthodoxos, expositioni bus varijs distrahunt', res nondum fide catholica certa est, & sunt hodieq;, qui dubitant.

Phœnicis historia fundamentum Parœmiarum.

Quomodo igitur, inquies, res neq; omnino certa, neq; omnib. et doctis cõcessa fundamenti solidioris vicem habet in Pontificijs decretis de im̃aculatæ conceptionis festiũitate peragẽda? Gemina hic de *Phœnice* est quæstio. Cum de eius ortu totaq; historia, quam quidam fabulosam existimãt, nihil habeat' certi; qui fieri potest, vt hæc sit basis, tot parœmiarum, adagiorum, diuerbiorũ, quæ passim, à doctis, indoctisque, nemine refragante, ac si de re indubitata essent, vsurpantur? imo ex ipsa Scriptura

Sacra

sacra desumuntur: vt: *Multiplicare annos, sicut Phœnicem: Renouari instar Phœnicis: Viuacior Phœnice*, quod est apud Lucianum.

Adagia de Phœnice Erasm. Adag.

Ad hanc Eruditi facile respondeant. Vsum parœmiarum, non postulare aliud, quã quippiam apud Poetas lectum quod deinde Vulgi loquela vsurpetur, & abeat in communem formulam, quod constat in plurimis, quas recenset, & exponit Adagiographus. Atq; ita etiã in Bibliorũ sacro volumine, *Cocyti, Titanum*, & *Orionis* mentionem fieri obseruamus. In illius autem difficultatis enodatione laborant non pauci: multis aqua hæret. Et hoc quidem æuo, quo in quibusdam Europæ prouinciis

Vsus parœmia quid postulet.

Papæ Romani poteſtas ſcopulus eſt, ad quem plurimorum roſtratæ franguntur: & quod dolemus, odiorum ſeminariũ inter doctos, ac potẽtes ferax, cum de nulla pene re maioribus animis, & vtinam nõ odio partium implacabili, digladientur concitatioris homines ingenii. Quorum aliqui, vt Pontificiorum decretorum vim infringant, aiunt, ea niti incerta, quæ tamen ſit fundamentum ſanctionis Papalis, & multas adducunt enſtaſes; vnam hanc ad noſtram Spartam.

Sixti 4. conſtit. Sixtus 4. conſtitutionem edidit de feſto Conceptionis B. V. vt vniuerſi fideles de immaculatæ Virginis conceptione, quam etiã *immaculatam* appellat,

lat,

lat,gratias & laudes referant: inuitatq; in *Extrauagāte*, *Cum praexcelsa*; omnes, ad hoc festum celebrandum: Quod vt efficacius fiat, omnes indulgentias, & pœnarum condonationes concedit iis, qui intersunt officio ac Missæ conceptionis, quas maximas Vrbanus 4. & Martinus V. elargiti sunt, qui præsentes se exhibent officiis diuinis in festo corporis Christi: Denique, tantum honorem haberi voluit conceptionis festo, vt celeberrimum fecerit, nec voluerit vel Dominicæ Aduētus cedere: Octauamque addiderit, infra quam de alia festiuitate non agatur. Extrauagantem Sixti approbarunt alii Pōtifices, recepitque Tridentina *Trid. Sess.* 4. Syno-

Synodus. Hic inquiunt, doctrina de immaculata Virginis conceptione apud Theologos incerta, tanquam fundamentum constitutionis ac Decreti Apostolici à Pontifice supponitur.

Sed quid cogit dicere, fundamentum potestatis Pontificiæ instituendi tale festum esse doctrinam dubiam? videlicet haud potuit scribere diui- Iud.16. 9.
nus historicus Iudith.16. *Non enim cecidit potens eorum à iuuenibus, nec filij Titan percußerunt eum: nec excelsi Gigantes opposuerunt se illi, sed Iudith filia Merari.*
Serm. Æn. 5. nisi pro fundamento veritatis historicæ, fabulam, vt veram narrationem poneret, Titanũ, quos contra superos, Deos terram profudisse fabulantur

Poë-

Poëticis aut fictionibus astro- *Iob.9.9.*
nomicis sententiarum grauissimarum basim constituisset. Non enunciaretur apud eundem: *Dulcis fuit glareis Cocyti:* nisi quod finxit antiquitas, tetram inferorum paludem in quam horridus Acheron, fluuius etiam inferorum arenas eructaret: id est secundum fictionem poeticam, animas, vmbrasq; deniq; nisi veritas fabulis niteretur.

Quasi vero ignotum sit, do- *Fabulosus loquendi modus in sacris vsurpatus.*
ctis, non solum diuinæ scripturæ Interpretem, sed & primũ eius Conditorem, aliquando fabulosæ, ac vulgari modo loquendi se accommodare, vt clarioribus & vulgatiorib. verbis veritatem proponat. Itaq; potuisset Pontifex adprobare offi-

officii, in quo eximius Ecclesię Doctor Augustinus Theologorum PHOENIX vocaretur: nec tamen idcirco fundamentum Pontificiæ approbationis esset incerta de Phœnice historia. Potuit conceptionem DEIPARÆ, vt colendam fidelibus proponere sine vllo authoritatis sacrosanctæ dispendio.

Quicquid rarum Phœnix.

Sed quid ego tam multa, tã quibusdam inuia consector, vt Virginem pure conceptam *Phœnici* comparem? satis fuisset illud omnibus obuium protulisse. Quicquid rarum, insolitum, inauditum, quodque vix fieri posse videatur, certe communem reliquorum conditionem superat ac perfectionem in eo genere Phęnici conferre sole-

ſolere prouerbiali loquutione.
Nota ſunt illa; *Ingeniorum Phœ-
nix. Tam rarus, quam Orientis a-
les. Rara auis in terris*: præſertim,
ſi ſit vnum aliquod in toto ge-
nere, & de ipſo adhuc dubite-
tur, vt de *Phœnice*, quod Virgini
conceptæ accidit.

Nam poſt communem illã
generis humani in primo capi
te labem, modumq; redemtio
nis à Chriſto D. ſemel ſancitũ,
videbatᷣ fieri non poſſe, vt quæ
piã ex eodem orta ſemine, ac
ſimilis cũ aliis ꝓpagationis, cõ-
tagii cõmunis non eſſet parti-
ceps, idq; nõ plebeis, & humi re
pẽtib. ingeniis. Sed ꝓdiit tãdẽ,
aliqua ab omni primęuę culpę
labe libera, purior ſole, nitidior
Luna, aſtris ſerenior: quæ nec
ꝓcedẽtium vllã viſa eſt habere
ſimi-

Thro. Salomonis. similem, nec sequentem, an non exclamem! O rarã auem! *Phœnicem*, non orientis tantum, sed vniuersi!

De Throno Salomonis, typo non ignobili virginis, sed typo, legitur. *Fecit Rex Salomon Thronum de ebore grandem: non est factum tale opus in omnibus regnis*, Lib. 3. Reg. 10. 18. Siue Regnum naturæ, siue gratiæ siue gloriæ lustres; quæ tria Dei regna sunt, non est tale opus in omnibus regnis, quale Thronus Salomonis, immaculate concepta MARIA, ô *Phœnicem! Mater admirabilis!*

Vnica semper Phœnix. Phænix semper vnica, inquit Pomponius Mela. Quoties Virgini occinitur? *Vna est colũba mea, perfecta mea. Vna est matris suæ, electa genitrici suæ: vna*

na

na poſt corruptionem communem immaculate concepta MARIA. ô *Phœnicem*! *Mater admirabilis*! Cant. 6. 8.

Cinnama naſcuntur viuax quæ colligit ales Viuax ales

canit de *Phœnice* D. Alchimus.

Bene viuax ales MARIA. Quid illa viuacius, in quam nullum morti vnquam fuit imperium: cui hodie vita data, quam nullus deinde dies abſtulit. Cuius vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias. ô *Phœnicem*! *Mater admirabilis*!

Multiplicat nouies Phœnix reparabilis ales, Reparabilis volucris.

canit ex Heſiodo Auſonius. Exuuias ponit DEIPARA, natali fine decedens, atq; ſuccedens iterum, ante renouata quam nata: ô *Phœnicem*! *Mater admi-*

admirabilis! Nihil pulchrius in toto alitum genere reperiri potest Phœnice. Audi Plinium. Phœnix Aquilæ narratur magnitudine: auri fulgore circa colla, cetera purpureus, cæruleam roſeis caudam pennis diſtinguentib. criſtis faciem, caputq; plumeo apice honeſtante. Aſpice MARIAM, in eaque partes, proportionem, colorẽ. *Tota pulchra es Amica mea, & macula non eſt in te, nec in conceptu.* ô PHOENICEM! MATER ADMIRABILIS ORA PRO NOBIS.

ORA-

ORATIO
SEXTA.

Symbolum VI.

PÁVO.

MARIA-PVRIficans.

Impleti sunt dies purgationis Mariæ, secundum legem Moysi. Luc. 2. 22.

Mater purissima orá pro nobis.

CVm duxissem vos anno proxime superiori ad Hortvm, quem indigitari aiebam Marianvm, omni amænitatum genere refertissimum, dimisi ex loci illius auiario, vt meminisse potestis, sex omnino volucres speciosissi-

mas,perpetuo in orbem gyro circumuolitantes, quas Hortulanus aiebat, esse sex Festiuitatum DEIPARÆ, Heræ nostræ animatas imagines. Et tunc quidem amabilis Columba lenissimo alarum, ad radiorum solarium iactum scintillantium, remigio, in aëre choreas instituens, nos ad se rapuit eamque assa vocula: sed harmonica qualibet suauiore, ANNVNCIATÆ VIRGINIS Mysteria decantantem, rapti artificio modulatricis auiculæ, audistis auide.

Hodierna luce, qua non Purificatam VIRGINEM, ne quis erret, Purificationis nomine deceptus: Sed Purificationis haud indigam: id est, Immaculatam, Intemeratam, ac Purissimam

ſimam veneramur, Pauo ve-
ſtris ſeſe obtutib. offeret. Pauo
venuſtiſſima volucris, cui plu-
ma veſtis, & quidē de cataclitis
omni cōchilio depreſſior, qua
colla florēt, omni patagio inau-
ratior, qua terga fulgēt: & omni
ſyrmate ſolutior, qua caudæ ia
cēt: Pauo, celebratiſſima auis,
nō Germanis min⁹, quā ciſalpi
nis vernacula, multicolor, &
verſicolor, & diſcolor: nunquā
ipſa, ſemper alia: & ſi ſemper i-
pſa, quando alia? toties mutan-
da, quoties mouenda, p̄clarum
DEIPARÆ, vt mundiſſimæ ita
pulcherrimæ Hieroglyphicū:
ideoq; hoc feſto die ſpectāda.

Nec indignabitur Colūba,
cuius frequēs in odis luſtralib.
& carmine, ac Euangelio de
Purificatione eſt mētio. Nam

Plin. lib. 10 c. 74.

verum reor, quod habet naturaliũ ſcrutator diligens, C. Plinius, dum diſputat, quæ inter ſe diſſideãt, quæq; maxime cõueniant animalia. Amici, Pauones, & columbæ: Turtures, & Pſittaci: Merulæ, & Turdi: cornix, & Ardeolæ. Prodeat igitur *Pauo* quantocyus: vos ſpectate ſi vultis, melius dixero; veſtrã, ſi hoc putetis mereri DOMINAM. Tu faue DOMINA, & adfulge! Tua ô Mater! mereretur venuſtiſſima ſpecies, vt Tibi in hoc, atroci licet frigore, noſtra deſudet induſtria. MATER PVRISSIMA Ora ꝓ nobis.

Pauo Imago eſt Virginis quã hodierna celebritate colimus. Cur ita? Exprimit PVRITATEM melius, quam vllis colorib. pictor. Puriſſimũ animal

eſt.

eſt PAVO: puritatis, ſupra quā dici, credique poteſt, amans. Non creditis. Venite, quæſo vos parumper mecum: ingrediamur ſtabulum, luſtremus cellulas, vix pedem inferemus occurret puer villicus: heus dicet, tabulā inſpicite pellegite, excipite magiſtri mandata, ſingulis edicitur.

Immundus exeſto.
Ingreſſus ne ſpuito.
Sordes ne importato.
Puluerem ne ſpargito.
Solum ne contaminato.
Stramen ne fædato.

Inhabitat hoc domiciliū PAVO. Quæ cauſa tam baſilicæ edictionis? *Pauo* ſpurcitię, ſordiū que eſt impatiens. Quare rerū ruſticarum periti præſcribunt vt ſtabulum Pauonum ca-

reat vligine : ita Columella, vt cauearum pauimentum euerratur ſæpius: ita alii. Addit Albertus M. naturæ ſcrutator, in paucis eximius, ſi pullus ſit madidus, & ſorde pollutus, expirare eum aliquando: vſque adeo impuritatem deteſtatur.

Quid iam opus alia commentatione, vt vobis perſuadeam Pauonem belliſſimum eſſe Matris Pvrissimæ ſymbolum. Quod non ita intelligo, quaſi reperiri poſſit quidpiam è reb. omnib. quæ Deo Puritatis fonti inferiores ſunt, quibus perfecte Deiparæ immaculata integritas exprimatur, vel repræſentetur. Maior illa eſt, quam vt imagine vlla è creaturis deſumpta poſſit ob ocu-

oculos poni. Veriſſime enim dictum reor à grauiſſimo Patre Anſelmo: *Decuit vt ea Puritate Virgo niteret, qua maior ſub Deo nequit intelligi.* Itaq; quod PAVVM adduxi, vt rei incompara bilis typum: id deſperatione melioris figuræ: non fiducia optimæ à me factum ſcire vos velim.

Anſ. de conc. Virg. c. 18.

Habet enim, amatq; *Pauus* ſingulari quadam, inter alites, prærogatiua, Puritatem: & ita amat, vt illam modis omnib. conſeruare ſtudeat. Quo fine, loca, vbi fœdandi periculum eſt, vitat impenſe. Si non poſſit, ita greſſum moderatur circumſpectiſſima volucris, & ſuſpenſo gradu incedit, vt inter ſordes ſordium ſit expers. Cerne mihi venu-

Puritatem ſtudioſe cuſtodit.

ſtiſſimam animantem, oculata cauda, aduerſo Sole relucentem, cœlorum æmulam, conuitium facturam ſiderib. orbiũ ſupernorum ocellis, pulchritudinis ſuæ haud ignaram, atq; idcirco vage, artificioſiſſimo colli fulgurantis rotatu, ſe circumſpicientem, ne luto pedes inficiat, rimari veſtigia, explorare orbitam, tentare, tanquam fluminis vada, pulueris aggerem: nunc velocius pedunculum extendere: mox ocyſſime eundem retrahere: certis deinde libramentis paſſus metiri, crura diuaricata iacere, gradumque numeroſe, ac certa cum menſura attollere: Si euadat abſque conſpurcatione, quaſi parta victoria, triumphum prope occinere

nere, ſibique perquam amicè gratulari. *Pauo*, inquit Albertus, *puritatis ſtudioſus gradu compoſito incedit, ne maculetur.*

Magna fuit DEIPARÆ Puritas, humana Angelicaque maior: ſed non minor illius in conſeruanda, muniendaque diligentia. Non illa ambiebat affatus, qui alienas menti formas ingerunt. Non adamabat conſortium, quod maculā cōſuetudine adfricat. Nō aduocabat cogitatus, qui puritati inſidiātur. hinc ſeceſſus amor, & ſolitudinis: lectionis frequētia: contemplationis aſſiduitas: hinc ſenſuū ſeuera cuſtodia: oculorū modeſtia: linguæ caſtigatiſſimus vſus, manuum, non

nisi ad necessaria protensio, frequens illud in corde; fortasse & in ore: Mori malo, quam fœdari.

O Sodales! huc vos voco. Estis purissimæ, & immaculatæ sodales Virginis: factum bonum: multa inde sperantur præsidia. Puritatem amatis? Videor audire responsum, vnum pro cunctis: Amamus, omnes, omnes. Laudo animum ô purissima Matris electæ germina! commendatione dignissimi estis, si ita sentiatis. Sed, quæso vos, nolite Matri vestræ imponere conari: nolite mundo. Amor non verbis, sed rebus probatur. Qui puritatem se amare dicit, & puritatis hostes fouet, vt lenissime, ac suauissime dicam, mentitur. Qui puri-

puritatis amicum se fingit: & collo tenus turpitudinis cæno mersus, vix eminet capite, is larua sibi apposita, decipit. Qui puritatis clientem se venditat, carnis mancipium, persona fallaciter inducta, ludit.

Puritatem amas? & nullo pudicæ impudicæue discrimine, omnibus te conueniendi potestatem facis? Habitas, & spõte tua habitas, ac nullo magno tuo commodo perurgente habitas, non solum in medio nationis prauæ, tibi fidens, quasi futurus sis Iob inter Hussitas, sed etiam in Vr & igne Chaldæorum, vbi flamma æstuas.

Puritatẽ amas? Ad quid ergo nocturnę illæ obambulationes ad quid furtiuæ illæ, domesticis insciis, per posticum egres-

siones? in alienas ædes clancularię surreptiones? ad quid illud circumspicere, tam sollicite, pulsare tam modeste, obseruare tam curiose, ne quis in vicinia, ne quis in lõginquo videat, & deferat? Puritatem amas? ad quid clancularia colloquia? ad quid blanditiæ? lenocinia? munuscula ad notas, ignotasque missa? ad quid lenonum lenarumque familiaritas, tãquam proxenetarum? ad quid illa domi, vel in proximo, Glycerium; quę toties tibi impuritatis occasio? *Eijce ancillam & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio Isaac*, Gen. 21. 10 Tu hæredẽ patrimonii Christi constituas, quem ad partem patrimonii terreni fratres nõ admittant? Puritatem amas?

quo

quo ergo illæ, tam fœdæ, & plusquam fescenninæ rerum turpissimarum narrationes? Oculorum in templis, & publicis supplicationibus impudici iactus? obscænæ imagines? cetera taceo.

Caute viuitur à multis, id nō ignoro: an etiam æque caste, ac pure, nescio. Quid dico nescio? An me scire diffitear, quod lippis notum & tonsoribus? quod non vicinia tantum, sed vrbs tota intuetur? de quo queruntur ciues. Sed ô ciues ciues! Quod damnant: at post graue damnum in charis pignorib. quid statis lacrymæ? omitte lacrymas, quid vos cęli fulmina! post damnum, dico, in caris pignorib. fors etiam in vxoribus patres-familias.

Quid me scire dissimulem, q; in conspectu Solis huius cõmittitur palam? quod Lucifugæ tenebriones lucente noctiluca perpetrãt impune? quod lactentes clamant; ipsisq; obmutescentibus sibilarent lapides, hoc ignoret cui nihil ignotum, publica fama? Quænã stoliditas, putare hæc tegi posse? *Plaut, Trin* Id, q; in aurem Rex Reginæ dixit, fama loquitur. Quid Iuno fabulata sit cum Ioue, scitur; & quod testib. perpetratum est decem, ignoretur?

O Corydon, Corydon secretum diuitis vllum *Iuuen. sat. 10.*
Esse putas? serui vt taceant, iumenta loquentur,
Et canis & postes, & marmora. Claude fenestras,
Vela tegant rimas: iunge ostia: tollito lumen *E me-*

E medio, clament omnes, prope
nemo recumbat.
Quod tamen ad cantum galli
facit ille secundum,
Proximus ante diem caupo
sciet ——

& à Caupone hoſpes, & ab hoſpite Vulgus: fruſtra tu cautelam adhibes.

Puritatem amas? Taceo ſacratum à te ordinem fœditate maculatum: inuſtum fronti impudicitiæ ſtigma: pectori meretriciam notam: aurem perforatam, lenonia ſubula: linguam conſpurcatam abominandis ſordibus: quo illę cotidianæ ad pudicitiæ ſubuerſionem inſidiæ? quo cuniculi laſciuiæ, plures quam quibus vrbs munita ſuffoditur? Sat ſit ſemel depluiſſe aurum,

in turrim Danaës : quid per ſubterraneos tubos eundē imbrem, tentas immittere? Sed quo ruis lingua? in quem hæc iacis? ignoſcite adfectui, Auditores mihi cari, neminē notare eſt animus. Si quis male ſibi conſcius, ægre ferat, quæ dico, turpitudinem ipſe ſuam prodet, quod per me licet, faciat, cui hoc eſt volupe. Vt in panegyricis, & gratiarum actionibus, multa dicuntur, quæ facere oportuit, non quæ facta à Principe, vt calcar addatur currenti : ita in paræneſi, fas eſt, quaſi facta inſectari, quæ poſſunt contingere, à quibus cauendum ſapiens iudicat.

Vos ego ad imitationem Matris Veſtræ exſtimulo, quæ

ita

ita puritatem adamauit, vt eam modis omnibus, tutam esse voluerit. Sit vobis tanquam in imagine descripta integritas & intemerata puritas Mariæ, & quæ velut in Speculo refulget species castitatis, ac forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla viuendi, vbi tamquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt. Primus discendi ardor, nobilitas est Magistri. Quid nobilius DEI-Matre? quid splendidius ea, quã splendor elegit: quid castius ea, quæ corpus sine corporis contagione generauit? Virgo erat non solũ corpore, sed et mente, quæ nullo doli ambitu, sin-

S. Ambr. li. 2. de Virgin.

cerum

cerùm adulteraret affectum. Prodire domo nescia, nisi cum ad Ecclesiam conueniret, & hoc ipsum cum parentibus, aut propinquis. Domestico operosa Secreto, forensi stipata comitatu: nullo meliore tamen sui custodia, quam se ipsa. Quæ incessu, affectuque venerabilis, non tam vestigium pedis tolleret, quam gradum virtutis attolleret. Hæc ad ipsos ingressus Angeli inuenta domi in penetralibus sine comite, ne quis intentionem abrumperet, ne quis obstreperet: neque enim comites fœminas desiderabat, quæ bonas comites cogitationes habebat. Quin etiam tum sibi minus sola videbatur, cum sola esset. Nam quemadmodum

dum sola, cui tot libri adessent, tot Archangeli, tot Prophetæ? Denique, & Gabriel, eam, vbi reuisere solebat, inuenit & Angelum Maria, quasi viri specie mota, trepidauit, quasi non incognitum, audito nomine, recognouit. Ita peregrinata est in viro, quæ non est peregrinata in Angelo, vt agnoscas aures religiosas, oculos verecũdos. Ita de cura Virginis differit Ambrosius. Tu eandem adhibe, si puritatis sis amans.

Sed me iterum ad se rapit *Pauo*, cuius carnem dicunt esse incorruptibilẽ, certe à corruptione diutissime liberam. Carnem eius coctam non putrescere, est qui afferat: triginta annos integrum, incorruptum- *Gesner. de Auib. li. 3. tit. Pauo.*

ptumque ſeruatum ſcribit alius. Addit Geſnerus, amicum quendam ſuum, experimenti cauſſa, conſeruare voluiſſe, & poſt tres menſes ſibi ſignificaſſe, carnem illæſam permanſiſſe: alium ſcribere: quod nec marceſcat, nec fœtorē exhalet, ſed oleat, ac ſi condita eſſet aromatibus. Eſt incorruptio puritatis, vel appēdix, vel merces. Hinc tot Diuorũ corpora poſt funus celebratũ, integra ſunt reperta, luſtris reuolutis: imo ſeculis, puritatis teſtandæ diuinitus gratia: vt nouiſſimæ Franciſci Xauier notiſſime innocentiæ hominis.

At hic ego ſane neſcio, quid prius enunciandum ſit de Deipara, Puritas, an Incorruptio:

haec

hæc ne illius, aut huius illa fuerit acceſſio. Incorruptam permanſiſſe carnem Virginis nemo negarit, qui Cælo receptam paucis ab obitu diebus intellexerit: quod alibi confirmamus. Sed ideone incorrupta, quia pura? An pura, quia incorrupta? Subtilitatib. vrgeor, ſubtilitates repono. Fuit puriſſima in vita, vt Purificatione non egeret, quia incorrupta corpore, & animo. Fuit incorrupta in morte, vt reſolui in cineres non deberet quia pura carne. Poſterius in confeſſo eſt, & ſtabilitur ex paulo ante dictis. Prius illud explicatione illuſtratur: ſed breui admodum, & ſuccincta.

Cur nihil habuit Virgo Ma-

Mater impurum, quod Purificatione expiari posset: An
Leuit. 12. non lex omnibus dicta? *Mulier si suscepto semine peperit masculum, immunda erit, nec ingredietur in sanctuarium, donec impleantur dies Purificationis suæ.* Agnosco legem: sed causam inquiro, quæ non alia, quam corruptio. Quæ omnino triplex, in hoc negotio.

Prima, Peccati: Secunda, Legis: Tertia, Naturæ. Ab omni corruptione immunis est Virgo, fuitque semper, nihil ergo in illa impurũ, quod purgari: nihil sordidum, quod lauari indigeat.

Peccati, siue natalitij, & Originalis, siue Operationis, nemo ex Orthodoxis DEIPARÆ adscri-

adſcripſerit. Naturalem corruptionem, ſiue ex diſſolutione continui in partes, ſiue conatu violento, enixuque, ſiue purgamentorum inuolucrorumque fætus cruenta effuſione, qui poſt partum manſiſſe Virginem non diffitetur, haud agnoſcit. Chriſtus enim ab aluo materna

Proceſſit ſplendore nouo, velut ipſe decoro Sedul.
Sponſus ouans thalamo, forma ſpecioſus amœna,
Præ natis hominum, cuius radiante figura
Blandior in labris diffuſa eſt gratia pulchris.

Exemplo id declarat, Poëta recentior, ſed non minus elegans:

Alma

De par. Virg.

Alma parens nullos intra præcordia motus
Aut incursantes deuexi ponderis ictus
Senserat, hærebāt immotis viscera claustris,
Haud aliter, quam cum purum specularia Solem
Admittunt. Lux ipsa quidem pertransit, & omnes
Irrumpens laxat tenebras, & discutit vmbras
Illa manent illæsa. ——

Lib. 70. hær. cap. 5.

Corruptionem Legalem negat legis formula, adiunctam per voculam, quam pluribus declarare alterius est cathedræ. Sat sit dixisse, quod Augustinum recordor, hæreticos affatus. *Vnde sordes in Virgine Matre, vbi non est concubitus cum homine patre.* Itaq; Deiparam

param à Lege Purificationis eximunt grauiſſimi Eccleſiæ Doctores. Ex antiquis quidẽ, Baſilius, Iſaiæ 7. Cyrill. lib. 8. in Leuit. & libr. 15. de Adorat. in Spiritu S. Chryſoſtom. Homil. de occurſu Chriſti. Auguſt. Quæ. 40. in Leuit. Bernardus ſermone 3. de Purificat. Ildefonſus Sermone de Purificat.

E recentioribus tot pene, quot ſiue è Scholaſticis, ſiue Eccleſiaſticis hunc exornarunt Titulum. Omnium ore loquitur Ioannes Azorius Tom. II. Inſtitution. Moral. lib. 1. capit. 18. Qu. 3. vbi ſcribit, temerariam eſſe ſententiam Origenis, credẽtium que aures offendere, dum ait, Homilia 14. in Lucam, Lege Puri-

Purificationis Virginem fuiſſe obligatam.

Pauo rara auis. Quæ cum ita ſint, nonne recte, Virginem DEIparam, rara hac volucre adumbrare conamur? *Pauum* raram auem vocas? cum tot paſſim in ciuitatibus & villis ad aurium carnificinam perſtrepent? A raritate olim commendatam inuenio, apud Hebræos maxime. Neque fortaſſe illam vidiſſent Ieroſolymis, niſi Rex ſapientiſſimus Salomon ex Tharſis, quo claſſem mittebat ad aurum deportandum, Pauos etiam aduexiſſet. *Lib. 3. Reg. 10. 22.* *Claſſis Regis* (inquit ſacer textus) *per tres annos ibat in Tharſis, deferens inde aurum & argentum, & dentes elephantorum, & ſimias & Pauos.*

Pauos. Quo fine? eo fortaſſe potiſſimum (quod eruditus rerum Salomonis enarrator Ioannes Pineda obſeruat) vt regia Vrbs, Regiſque magni delitiæ amplificarentur, & aues pulcherrimæ, ac peregrinitate exquiſitiſſimæ publice ſpectandæ in Ciuitate Sancta proponerentur. Sicut quondam Athenis, quo, vt ſcribit Athenæus, multi è Lacedæmone ac Theſſalia eas aues ſpectãdi gratia, & deſiderio commoti, adire ſolebant: atq; eorum oua, magno pretio comparare: ſignificat vero etiam, Pauonum ſpectaculum fuiſſe oppido expetitum: nouilunijs, quicunque videre cuperet, admitti potuiſſe, reliquis diebus minime, qui- *Lib. 4. c. 26 Num. 2.* *Athenæ. lib. 9.*

cunque tandem esset qui aduenire spectatum. Id factitatum per annos plusquam triginta, neque mirum, si quidem

Ob raritatem Pauo in admiratione est.

vt ex Eubulo in Phœnice recitat Athenæus.

Virginitas votiua rara

Quam rara olim erat votiua Virginitas? rarior quam *Pauus*. Illam in orbem nostrũ inuexit, quæ Virgo-Mater dicitur: cuius fuit admirabundæ quæsitum; *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quod profecto, vt acute notat Augustinus, non proferret, nisi Deo se Virginem semper fore ante vouisset: Recte: alioqui caussa nulla esset, quam redderet

Lib. de S. Virg. c. 4.

quæ-

quæſtioni à ſe formatæ, *Quomodo fiet iſtud?* Iam enim nupta erat viro: Et ſi nupta non fuiſſet, nubere, virum cognoſcere, fœtum concipere, & parere ceterarum inſtar potuiſſet. Quamobrem, vt certarum religionum alumni; cum dicunt, *Nos carne non veſcimur*: nos vinum non bibimus, ſignificant ſe voto, ac lege prohiberi, ne vino aut carne fruantur. Ita B. Virgo, cum dixit, virum non agnoſco, aliud ſignificare haud voluit, quam, quod voto ſe obſtrinxiſſet, nunquam ſe Virginitatem violaturam. Ita colligunt Doctores omnes Scholaſtici, antiquos ſecuti Patres: ex quibus licet nonnulli aſſerant, an-

te illam, in lege veteri quasdam Virginitatem, & castitatem perpetuam laudabiliter seruasse: volunt tamē communi fere consensu, ante illam de Virginitate seruanda, Vota DEO nullam nuncupasse.

Vide Gabriel Vasq. Tom. 2. in 3. p. disp. 123. c. 4.

Sane nisi ille, cuius typus fuit Rex pacificus, Salomon ex alia ab hoc orbe, regione, gratiæ suæ classe, nonnisi aurum argentumque ingētium beneficiorum apportare solita, hanc puritatis alitem aduexisset, nunquam fuisset Ierosolymis cōspecta, puritate votiua, nobilis puella, immaculata MARIA.

At vero, postquam rara hęc auis in Palæstina visa est, eiusq; fama per vniuersitatem sparsa simi-

ſimile quid multiplicatione caſtorum ac vouentium accidit, quod de Pauonum proſeminatione refertur.

Pauonum tantummodo par vnum
Adduxit quiſpiam raram tunc auem,
Nunc vero plures ſunt quā Coturnices.

A Virgine vna proſeminata eſt aurea caſtitatis ſeges: ab ea in omnes regiones, huius alitis aſſeclæ, & agminæ. Nec eſt natio, in qua, non Virginum aliquod reperies contubernium.

Creuit *Pauonum* copia: creuit poſt primam illam, Virginum caſtarum numerus felici ſane incremento. Fuit itaque olim, non eſt amplius,

rara peregrinitate, ales, *Pauus*.

Rara fuit, & est hodieque, in priuatorum mensis, aut delitijs. Regium semper fuisse reperio, *Pauonibus* delectari, quod sciunt lectionis variæ amantes ex Æliano, Suetonio Alexandro. Et hac fortassis de caussa, Salomon, ne quid deesset ad voluptates regias, *Pauones* sibi aduehi curabat. Ludere solet interdum in orbe terrarum Rex Regum & Dominus dominantium, cuius *delitiæ sunt esse cum filiis hominum*, aut delitias capere à filijs hominum. Sed alitibus maxime oblectatur: hoc est, ijs, quibus pennæ sunt, quarum remigio se à rerum terrenarum concretione eleuent, & im-

Regum deli tiæ Pauones

Ælian. li. 13. Animal ca. 18. Sueton. Tiber. 160. Caligul. cap. 22. Alex. li. 2. c. 13. lib. 3. ca. 14.

& impurum hoc, quod calcamus elementum deferant. At quomodo ludit? Vt Principes solent (*Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ*) His volupe est, si philomela in manum aduolet, si digitis insideat: si morsiunculis blandiatur. Si falconem manu teneāt, quod gestamen frequēs *3. Lips. in B. V. Ass.* erat Belgicæ Principum, vt scribit Scriptor Belga. Si Indicas versicolores, ideoque rarissimas auiculas excauea sumant, & pugno retineant.

Nunquam perpendistis illud sapientis? *Iustorum animæ* *Sap. 3. 1.* *in manu Dei sunt*. At quomodo? Fortasse, vt puerulus in manu nutritij, quod insinuat Propheta. Fortasse, vt auis in pugno aucupis, ne auolet,

Oseæ 11.1. quod indicat Oseas. Fortasse, vt calix vini meri, quod
Oseæ 9 11. Ps. 74.16. sumo ex Psalmista. Fortasse, vt membrana descripta,
Isai. 49. 16 Isai. 72.3. quod suggerit Isaias. Fortasse, vt corona gloriæ, & diadema regni, quod idem alibi significat. Fortasse, vt infirmus in manu confortantis,
Ezech. 3.4. quod ab Ezechiele discimus. Fortasse, vt instrumentum in
Vide Olzot lect. 30. sap. dextera opificis: vt clypeus in sinistra militis: vt ensis in manu pugilis.

At cur non etiam, vt volucris amata in manu ludentis Principis? Et ceteros quidem iustos, hoc est, puros, innocentes, immaculatos, cōtemplor in manu DEI, vt vulgares auiculas, passerculos, turdos, merulas: quarum ille conspectu

ctu delectatur : & quandoque auolare finit : dum nimirum illæ gratiam sponte deferunt, aut familiaritatem intimam, leuium peccatorum sordibus imminuũt. Sed Virginem-Matrem, vt vnicum Regis delitium, nũquam manum deserentem : semper Principis oculos pręsentia delectantem.

Blandiebatur mihi conceptionis istiusce peregrinitas: & cum nihil occurreret è sacris Oraculis, quo illam fulcirem, vel exornarem, quod indecorum Oratori Theologo, manus magni Regis contemplabar attentius, & animaduertere videbar in ijs *Pauonis* caudam, quam frustra sine aue inibi collocem. Rem se

ipſa ſuggeſſit. Manus enim illius depingens, quaſi in tabula: *Manus* inquiebat, eſſe *tornatiles*, *aureas*, *plenas hyacinthis*. Quod iuxta Hebraicum Originale vertunt nonnulli, *Cauda Pauonis*. Non lubet contendere de verſionis veritate. Sat habeam vidiſſe mecum aliquos, Pauonem in ſummi Regis manibus: idque ex ſacra pagina elicuiſſe.

Cant. 5. 14.

Nihil habet de hac re Delrius in Canticis. Sed notat in originali eſſe Tharſis, qua rex quid ſignificet, non ſatis liquet. Profert tamen eam verſionem in Carthageno Tom. 1. de Arcanis B. V. lib. 1. Homil. 16.

Porro, haud minus regale fuit olim, *Pauonibus* veſci, quam delectari: quippe *Pauonum* caro optima, ac delicatiſſima habebatur, & non niſi Principum menſis inferenda. Vt exempla teſtantur, Heliogabali apud Lampridium: Hortenſij in cœna augura-

Veſci Pauone regium.

Varro rei ruſtic. Li. 3. cap. 6.

gurali, apud Varronem: & aliorum.

Quam ob causam saginari *Pauum* primus instituit Aufidius Lurco, ex eoque quæstu habuit reditus sestertium sexagena M. vt scribit Plinius. Quocirca ad luxum, & gulositatem refert Clemens Alexandrinus, Phasidis aues, attagenas Ægyptias, Medicum *Pauonem*. Atque eo nomine, Romanorum profusionem arguit, præter Plinium, Horatius, Martialis, Ouidius, & Suetonius in Vitellio, qui in famosa illa patina, quam Mineruæ clypeum appellabat, scarorum iecinora, phasianorum, & *Pauonum* cerebella, ac linguas phœnicopterorũ exhibuit. Nec posterio-

Plin. lib. 10. c. 20.

Lib. 11. Pæd. de cap. 1.

Plin. lib. 12. cap. 5. Horat. li. 2. sat. 2. Martial. li. 14. Ouid. 6. Fastor. Sueton. cap. 13. & 17.

ribus ſeculis deſitum eſt in i-ſtiuſmodi luxuriari.

Auorum noſtrorum æuo, *Muleaſſes.* cum Muleaſſes, Rex Tunetanus ad Carolum V. Cæſarem per Italiam proficiſceretur, exceptus Neapoli à Prorege, ſtupori omnibus fuit, veſcendi morem, & odoramenti omnis generis exquiſitam luxuriem admirantibus: cunctis namq; dapib. inſani ſumptus vnguenta infarciebant. Sed luxus maxime in *Pauone* ſpectabatur. Si quidem conſtabat, *Pauonem*, cum duobus phaſianis, à ſtructore, ex regiæ culinæ diſciplina cõditum, centũ aureorum impenſam exceſſiſſe, quippe, non cænaculum modo, cum
in

in mensa concideretur *Pauo*, sed domum vniuersam nouo suauissimoque nidore completam ferebant, tanta inhalatione, vt à tota vicinia, huius inusitatæ, & non cito euanescentis voluptatis odor sentiretur. Ita narrat Paulus Iouius. Verum quod luxui datur minutulis illis dominis, id, si à dominorum Domino, & cuius sunt fines terræ, vsurpetur, extra decori regulas, & frugalitatis, videri non debet. An ita mensæ quoque suæ in nuptiali conuiuio *Pauum* hunc destinauit?

Paul. Iouius lib. 44. histor.

Hic me delirare quispiam fortasse arbitretur, quod non contentus *Deiparam* comparasse cum *Pauo*, altilem etiam facere coner, mensæ inferendam. Verum, tam ego in hoc

Pauo cælestis mensæ inferendus.

quidem, non deliro, quam nõ desipuit sapientia æterna, cum mensam se apparare asseruit, in quo capitales missus sint futuri, agnus, taurus, altilia: ab illa namque accepi comparationis huius amænitatem. Veniat quæso, vobis in mentem elegantissima illa parabola, quæ describitur Matthæi XXII. Vbi Christus inquit, Regnum cælorum simile esse homini regi qui fecit nuptias filio suo, & curauit dici inuitatis: *Ecce prandium meum paraui, tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata, venite ad nuptias.*

Ideo fortasse, qui fuerant inuitati antea, non venerant, quia nihil audierant de

de prandio. Hæc certe absentiæ multorum est causa. Cur tam pauci ad solennitates academicas, scholasticas, Philosophicas conueniunt? Cur ad conciones, Missarum solennia, vespertinum officium, ad cœtus sodalitatis Deiparæ tam rari? Non inuitantur? Negant congregationum Præsides, nec diffitentur inuitati: addent tamen, si causam absentiæ occultare nolint, non fieri mentionem prandij. Fiat igitur in posterum: ante tempus præstitutum plena erit hæc exedra in subselliis istis, vix it erit locus nõ minusquam cum ad auspicales primitiarum epulas, ac Doctorum, Abbatumque inaugu

augurationem conuocantur. Si dictum fuisset hesterno die, nouo mōdo hic apparandum *Pauum*, eumque singulis integrum apponendum, emansisset fortasse ex inuitatis nemo, nisi bonum dolum subodoratus, malo, vt fieri solet: bonum rependisset. Itaq; sapienter Rex conuiuator, prandiū lautissimum; & maxime opiparū iam paratum significare voluit.

Fercula mēsa diuina. At ex quibus sunt mensæ regiæ fercula? Ex agno, tauro, altilibus. Itaque Christus ipse cōstituit hic ferculum, cur nō & eius Mater? Ipse est agnus optimus, & tenerrimus, cuius corpus est panis; sanguis, vinū: quæ primo incarnationis, deinde passionis tempore cocta fue-

fuerunt & condita. Tauros, Prophetas recte dixeris, & Martyres, qui ob Domini sui amorem trucidati sunt. Sane ipsi, vt tauri torosissimi, cornibus suis aduersariorum acies ventilarunt ac disiecerunt. Ab his vituli prouenerunt, Apostoli, ac Apostolici seminis viri. *Pro patribus tuis*, canit Propheta, *nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram.* Psal. 44. Altilia nominantur DEI domestici, ac de proximo cari. Nam illæ aues altilia dicuntur, quæ domi vel in villis saginantur ad mensarum delitias. Cerne mihi illos, quamuis in terra corpore commorentur, animo tamen cæli municipes, non ne contemplandi facilitate, tanquam alis in sublime ferun-

runtur? nonne deuotionis pin guedine saginati ad cælestis conuiuii dapes satis sunt idonei?

Quæ omnia, si cui è Iustorum cætu, certe DEIPARÆ exaggerata quadam ratione conueniunt. Quam cum veluti *Pauum* ali à summo Rege probauerimus, quid vetat dicere, illam ex altilibus fore, quæ diuinam mensam exornabit. Et quidem secũdum Agnum, quem integrum apponi decuit, ac palmarium constituere ferculum.

Quomodo mactatus Pauo. Nec scrupulum iniiciat, ꝙ Altilia hisce epulis destinata occisa audis; quod de Virgine Maria fas non sit opinari. Nõ arbitreris me dicturum, DEIparam martyrio vitam finiuisse

uiſſe, vt ſomniare poſſet quiſpiam propter illam Simeonis prædictionem: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Er neſcio quid dubitationis hic Epiphanius ingerat. Verũ, vt monet Ambroſius, nec littera, nec hiſtoria docet, ex hac vita Mariam corporalis necis paſſione migraſſe. Non enim anima, ſed corpus materiali gladio tranſuerberatur. Siue ergo Simeon per *gladium* intellexerit, verbum Dei, vere gladium ancipitem, penetrantẽ, qui Mariæ animam transfixerit.

Epiph. l. 3. 78.

Eph. 9. 17.

Siquidem hominum nemo penitius diuinorum myſteriorum abdita inſpexit, quam Maria, vt Ambroſius exponit. Siue Amorem, acutiſſimi inſtar gla-

Ambr. in Luc. 2. & lib. 3. de virg.

gladii, ferientem, quo vulnerata interiit; siue dolorem vehementissimum, quem in filii passione percepit, vt Beda, Theophylactus, Euthymius interpretantur. Siue mortem ipsam Christi, quæ Matris animam, in filii magis pectore, quam suo hærentem, ensis instar, confixit. Siue quidpiam aliud, quod pie contemplari possumus, Virginem ferro mactatam fuisse non probat.

Verissime tamẽ de illa quoque intelligo: *Altilia occisa sunt.* Non enim mysterio vacat, quod in Codicib. Græcis, tauri: & altilia, τεθυμένα dicuntur: id est immolata. Solebant enim Hebræi, conuiuia magis solennia, & nuptialia potissimum, ex immolatis animalibus in-

B. Virgo occisa.

strue-

inſtruere. Iam vero, tota Mariæ vita, quid fuit aliud, quam perpetuum, Deoq; acceptiſſimum ſacrificium? Sed præcipue ſe, vt holocauſtum, obtulit, cum hodierno die incredibili promptitudine, voluntatem, in eaque, vt principe potentia, ceteras omnes, obediẽtiæ gladio, & amoris igne ſacrificauit Altiſſimo.

Comeſtionis Spiritualis modus.

At hic iam diſputandum eſſet, de comeſtionis modo. Sed dies me deficeret, ſi ſingula enucleare vellem: quod non eſt neceſſarium. Breuiter. Quomodo comeditur in regno Patris, in quo miſſus ſunt, & patinariæ ſtruices, perfectiones diuinæ, ipſa eſſentia Numinis, Christi diuinitas, & totalia, his non magis corporalia? comeditur

ditur intellectu, & voluntate: contemplando, & amando. Hos dentes in taurorum, & altilium fercula immittemus. Desiderium fruẽdi est sitis, & fames, quæ visione, & amore satis superq; sedabitur. Idem de tam laute condito *Pauo* cogita, nec aberrabis.

Iustus mensa diuina idoneus. Verum scire fortaßis expetis quomodo & tu inter altilia annumeratus, & annumerari volens regiæ mensæ te facere poßis idoneum? Factum hic narrabo cuiusdam, qui præiuit, si sequi lubeat, inter dapsiles illas epulas, & tu locum, ꝙ spondeo, inuenies. Primus, qui in Lusitania sociis nostris se adiunxit, fuit *Consaluus Maderius*, naturaliũ rerum, ac diuinarum bene perit⁹. Hic simpli-

Consaluus Maderous.

plici,ac populari ſimilitudine, *Nic. Orl. Lib. 2. Nu. 164.*
de concionatore audita: Sicut
altilia,in regiam menſam non
inferũtur,niſi mactata,nudata
plumis,& aſſata : ita oportere
homines,qui Deo placere velint,corpora ſua,& cupiditates
mortificatione perimere,atq;
excoquere:mox induto cilitio
ſtatim ſe ad auſtera conuertit.
Verũ n.vero,vt palæſtrã virtutis intrantib.continuo aduerſarius paratus eſt ; ita exæſtuare
libidinis cæpit flammis , vt ex
oppugnatione pertinaci, & ipſis quodãmodo remediis inualeſcentib. ꝓpe deſperãs vehemẽter ſaluti ſuæ diffideret.
Cũ męſtiſſimo Angelꝰ.luce palam,apparuit, vidẽtiq; Latine
ſemel,atq; iterum hæc verba:
Confide fili, ſaluus eris, ingemina-

minauit. Igitur vbi Olisippone Xauerium, ac Simonem, ex primis nostri ordinis Patribus illustres viros conspexit, Angelica se pollicitatione facile potiturum existimans, eorum si vestigiis insisteret, ad societatem accessit, in eaque ita perseuerauit, vt satis certam faceret Angelicam vocem. Tu fac similiter, & viues, quamuis deplumatus.

Sed hoc forte acerbum nimis, nec omnes capiunt. Saltẽ macta voluntatem perfectæ obedientiæ mandatorum proposito: intellectum fidei promptitudine: carnem, abstinẽtia: ac, quod graue videri non debet, ad Christi passi imitationem, hoc sacro-sancto tempore, flagris, humicubatione, sacco,

co,

co, cilitio, crucis baiulatione: depluma mentem auaritiæ pẽnis, detrahę superfluũ à veste ornatum: non decentem fastũ Ecclesiastico, exue. Assa Spiritum inflammatis bonorum operũ desideriis: torre amoris cælestis carbonib. vre, cęlos penetrãte caritatis igne. Deniq; ita PATRONAM *Pauo* omni puriorem, rarioremq; venerare, & imitatione exprime, vt eius ad omne virtutum decus, fauorem, patrociniumque promerearis. Quod vt fiat, MATER PVRISSIMA ORA PRO NOBIS.

ORATIO
SEPTIMA.
Symbolum VII.
PAVO.
MARIA-AN-
nunciata.

Vulneraſti cor meum Soror mea ſponſa. Cant.4.9

Virgo inæſtimabilis orā ꝓ nobis.

NVnquam ego quidem incomitatus, hunc Pietatis campũ ingredior: duco namq; mecũ ſemper fauſtas, & boni ominis alites, è ſex illis, quas in Horto Mariano choreas ducere; & ſuauiſſimæ harmoniæ voculis ſex Patronæ N. feſtiuos titulos concelebrare nõ ignoratis. Et quidẽ columbã è Palæſti

na

na, Phænicem ex Arabia, è villa domeſtica Gallinam ſuis temporib. aduocauimus. Nec defuit PAVO ſponte aduolans, qui iterum hodie ſe ſiſtit, elegantiſſimum Deiparæ in ſacro Annunciationis feſto Sponſæ hieroglyphicum. Non vacat modo longis vti ambagibus: nec lubet quadragintadiali auſteritate pene ex ſucco amænis luxuriare procœmiis. Itaque quo eſtis in patronam veſtram adfectu, abſque alio inuitamento diligenter attendite.

Pauo Symbolum eſt Dominæ noſtræ, quam celebritate hodierna vt ſponſam, veneramur. Vſitatus is eſt titulus Deiparæ, quæ Mater nunquam audiret, niſi ſponſa prius fuiſ- *Deipara Sponſa.*

ſet. Sponſam fuiſſe in Filii incarnatione aſſero. Non quod negem à primo conceptus punctulo, DEVM ſibi MARIAM deſponſaſſe ſanctificantis annulo gratiæ, quæ ſpõſas efficit. Non quod ignorem, illam poſt mortem migraſſe ad Dominum, innixam Dilecto ſuo, beatitudinis nexu indiſſolubili copulandam. Non etiam, quod haud concedam: ab omni æternitate Patronam noſtram ſingulari prædilectionis priuilegio in diuina mente ſponſam eſſe conſtitutam. Neque tandem, quod abnuam, ante aliquot ſecula, vt nouæ nuptæ decantatum fuiſſe à Salomone Chori Magiſtro epithalamium, vt Canticorum

And. Cret. ſer. de dorm Deiparæ Guliel Par. Comm. in Cant. Hon. in Sig. Mariæ Rupert. lib. 7. de Glor. Tra.

rum interpretes eximij, Andreas, Gulielmus, Honorius, Rupertus, Aponius, Alanus, Hilgrinus affirmant. Sed, quod peculiari quadam ratione, & eatenus inaudita, ac nulli alteri communi, dum ad eam missus est Gabriel, paranymphus sponsam egerit. *c.13. Apon. lib.1. Ala. Ins. Hilgrinus apud Delrium Isago. c.13.*

Quis tam peregrinus in Christianis sacris, qui non audiuerit aliquando, reconditum Incarnationis mysteriũ, quod tunc peractum est, quando VERBVM diuinum in Virgine consensum præbente, carnem humanam adsumpsit, Matrimonium appellari: quod ex omnibus, quæ ad coniugium necessaria putantur, alibi copiose demonstra- *Matrimonium in Incarnatione.*

mus. Est autem in more positum, vt, cum Nuptiæ celebrandæ sunt, non ante Matrimonium sanciatur, quam sponsæ voluntas exploretur: ipsaque annuat. Ita, vt est in sacra Genesi, cum seruus Abrahæ, tanquam matrimonii sequester, Rebeccam pro Isaaco vxorem postularet, parentes, ac fratres respondisse constat: *Vocemus puellam & quæramus eius voluntatem.* Haud dispari ratione, cum DEVS lectissimam sibi sponsam designasset, matrimonio copulandam, ablegat oratorem suum Gabrielem, ceu procuratorem ad Virginem, vt eius explorata voluntate assensum exprimeret. Poterat quidem supremus Mo-

Gen. 38.

nar-

narcha, etiam non expectato Virginis nutu; connubii tabulas conficere, matrimoniumque stabilire. Attamen, & maiore cum merito MARIÆ spōsæ; & cum illustriore gratia, consensusque illius est expectata. Hic mihi argutulus occurrat fortasse, illudque obijciat: Nuptias in Incarnatione agnosco! At non cum virgine, sed cum nostra natura. Ita docuit Augustinus, qui illud Psalmi: *Tanquam sponsus procedens de thalamo*, Christo, ex Virginis vtero, ceu thalamo, prodeunti accōmodat. Ipse, inquit, *procedēs de vtero virginali: vbi Deus naturæ humanæ spōsus, sponsæ copulatus est*. Et B. Laurentius Iustinian⁹ de

Sponsa B. V. Maria.

Psal. 18.

Laur. Iust. lib. de cast. connub. casto connubio differens, *Verbum*, ait, *sponsus: Caro sponsa, virginis vterus, thalamus est.* Carnem itaque nostram, non virginem, voces sponsam hoc Annunciationis festo oportet.

B.V. naturam humanam repræsentat. Animaduerto acumen humanum: sed repono Angelicam subtilitatem Thomæ Aquinatis; qui in Incarnatione Matrimonium inter DEI Filium, & humanam naturam fuisse, non diffitetur: aduertit tamen totius humanæ naturæ personam sustinuisse Virginem: ideoque in annunciatione illius fuisse expectatum cōsensum.

Par. 3. Q. 30. Art. 1. Congruum erat, inquit Magnus Doctor, B. Virgini annunciari, quod esset Christum

ſtum conceptura, vt oſtenderetur, eſſe quoddam ſpirituale matrimonium, inter Filium DEI & humanam naturam, & ideo per Annunciationem expectabatur conſenſus Virginis, loco totius humanæ naturæ.

Virginis ergo MARIÆ, non vno titulo ſponſæ, ſacrum Symbolum, PAVVM ſtatuimus. Nimis profane dices. Imo, vt gentilitiam profanitatem iugulemus, hoc facere animum induximus. Cum enim non ignoremus diuerſa animalia, variis Idolorum monſtris, ab ethnica ſuperſtitione dicata fuiſſe, noſtrum eſſe arbitrabamur, eadem ſuperſtitione profligata, ad ſacra Chriſtiana deducere, ac melioribus luſtra- *Animalia Diuis ſacra*

tionibus expiata, DIVÆ nostræ, cœli, terræque Imperatrici, conſecrare. Atque hoc iure, haud dubie, optimo, PAVVM virgini ſponſæ dicatum imus: non inepta, vt exiſtimamus, proprietatum, quæ in Pauo conſpiciuntur, in ſponſa non deſiderantur, analogia. Quapropter, quæ Auis IVNONIA hactenus, MARIANA dicatur impoſterum.

Pauo à pulchritudine commendatur.

Et initio ſtatim, *Pulchritudo* ſeſe offert, cuius hieroglyphicum eſt Pauo, eius pulchritudinis ales, vt ceteras omnes, vniuerſi iudicio, poſt ſe relinquat. Hinc ambitioſa Scriptorum de Pauone elogia, quorum cinnũ edidiſſe videtur, qui hoc illi condidit, ſane ele-

elegans elegantiſſimi è recentioribus ingenii Philologus.

Pauo quondam Iunoni ſacer, ſpeciem habet & pulchritudinem venuſtiſſimam colore vario diſtinctam. Auis non ſolum pulcherrima, ſed pulchritudinis ſtudioſa. Cui è volucribus, natura formæ dedit præſtantiam, & excellentiam admirandam, Paruo ille eſt, capite quaſi ſerpentino, ac longis pennis coronato, quaſi cono in ſublime elato, pulcherrimo venuſtiſſimoque atque illo ad maiorem venuſtatem ruſo. Collum lõgum eſt, & Sapphiri colore, quocumq; ſe conuertat, & inflectat, nitet, & ſplendet. Pectus quoque Sapphiri colore lucidum, & ſplendens: *Elogium Paui.*

dens: alæ rufæ: dorſum cinereum, ad ruborem declinans, cauda longa, pennis plumoſis: & in fine pennarum habet orbes, ex viridi, quaſi Chriſolyti ſplendore & auri & Sapphiri ſplendoribus diſtinctos: Siderum & aſtrorum clariſſime micantium fulgorem referentes: plane ad ornatum, & ad ſplendorem, & magnificentiam præ reliquis volucribus Pauoni datos, vt nullam auem putauerit Plinius, Pauone fingi potuiſſe pulchriorem, & oculis in cauda tam longa, tamque denſa plumis, tanta oculorum varietate, tanto nitore, tam delectis etiam odorum generibus vt albus, ac niger, quorũ vnus, per ſe tri-

ſe triſtis eſt,alteralios obſcurat euitentur colores.

Atq; *Pauo* ſemetipſum miratur, caudæ gemmantibus pennis orbem efficiens pleniſſimum, tanto tamque illuſtri ſplendore micantem, vt nihil ſupra. Et hoc mirandum, quod cum forma, tum intellectu, quaſi pulchritudinis & gloriæ offerat ſeſe. Gemmantes laudatus expandens alas, cum iactatione quadam ſuperbiſſima, colores oſtentans aduerſo maxime Sole, quia ſic clarius vibrant, & collucent. Nec raro, cum ſe formoſam prædicari audit, quaſi rationis particeps, auri comas pennaſque explicat, longe lateque & veluti pratum floribus varijs & pulcherrimis ſtratum, ac di-

ſtinctum erigens oſtentare: gaudet, & oculis ipſe luſtrãs in orbem circumducere, cumque magis, magisq́; pulchritudinem quis laudauerit, ambitione maiore ſe gerit, venuſtati applaudens ſuæ. Si vero quis vituperauerit, cauda ſtatim recondita, ceu calumniatorem, deteſtatur.

Cum vero caudam ſtatis temporibus amittat, donec renaſcatur cum flore arborum pudibundus, ac mærens quærit latebras: recordatur enim illius temporis, cum commẽdatus, tanquam formoſus puer, aut virgo, venuſtam corporis pręſtantiam tanta cum elegantia oſtendit, pennas ornate, ac ordine erigens, vt herbido prato, & florum omnium pul-

pulchritudine diſtincto ſimilis videatur.

Quid, quod eo fine naturam produxiſſe Pauum nonnulli exiſtimarunt, vt pulcherrima ſpecie oculis mortalium blandiretur. Qua in perſuaſione fuit, qui *Pauones*, nugas appellare erat ſolitus, vt refert Pauſanias. Sed errauit ille non modice: habet enim vſum minime contemnendum pulcherrima volucrum. Quod obſeruauit Plutarchus, in libello de Stoicorũ repugnantijs, Chryſippi dogmata examinans. Cũ in opere, inquit, de natura ſcripſiſſet, naturam multa animalia pulchritudinis gratia protuliſſe: gaudentem nimirum pulchritudine & varietate adieciſſet-

ſetque alieniſſimum à ratione dictum, Pauonem ob caudam eiuſque pulchritudinem eſſe creatum: rurſum in libro de repub. audacter inſectatur eos, qui *Pauonem* alunt, & Luſcinias, tanquam contrarias legibus à conditore legum vniuerſi poſitas leges ſtatuens, ac naturam ſubſannans, quæ ſtudioſe, tam eleganta edidiſſet animalia, quibus ſapiens in Vrbe locum non concederet. Miratur autem & reprehendit, eapropter gulones Martialis, quod tam venuſtam auem & elegantem cultro ſubijciant, & coquo dent mactandam.

Lib. 13. Epig. 36.

Miraris quoties gemmātes explicat alas

Et

Et potes hunc sæuo reddere dure coquo?

Sed nimirum auara gula nec venuſtati, nec elegantię parcit vt ibidem notat doctus Commentator. M.Rader.

PVLCHRITVDINIS igitur prærogatiua in primis PAVO diuinã Sponſam refert, in qua duplicem pulchritudinẽ ſpectauit cæleſtis Amator: Corporis, & Animi. Vtraque fuit tanta, vt intelligẽtia noſtra cõprehendi, voce humana ſatis explicari non poſſit. Ego ſane ſic exiſtimo; vel in Domina noſtra fuiſſe triginta illa, quæ ad perfectionem pulchritudinis requirit peculiaria, haud ignobilis auctor, aut in nulla alia. Quis enim ſibi perſuadeat Virgini DEI-PARÆ defuiſſe, quod

B.V. duplex pulchritudo.

Caſſan. in Catal gloriæ p. 2.

ꝙ in vlla commendari potuit? Hic non expectate ad comparationem instituendam, vt texam catalogum à pulchritudine in diuinis litteris laudatissimorum, Iosephi, Mosis, Saulis, Ionathæ, Dauidis, Absalonis, Saræ, Rachelis, Dinæ, Thamaris, Noëmi, Estheris, Iudith, Abigail, Bersabec, Abisag, Susannæ, & tot aliarũ: nec quos profana, eodem titulo, commendat litteratura; Polydori, Hippolyti, Deiphobi, Paridis, Narcisci, Athlantæ, Ariadnæ, Cinthię, Helenæ, Deianiræ, Lauinię, Medusę, Lucretiæ, Cleopatræ, Cassandrę, Penelopes, Thetys, Virginię, Polyxenæ, Lesbiæ, Galatheę. Nõ istorum tantum, similiumque si qui extiterunt alicubi, dotes

sed

ſed quicquid in creaturis om-
nibus pulchritudinis delite-
ſcit, totum id in ſponſam ſuã
Mariam minime auara ma-
nu congeſſit. Quare, vt *Pa-
uoni* natura in volucribus for-
mæ dedit palmam: quod Al-
bertus aſſerit: vt nullam auem
pulchriorem *Pauone* finxiſſe
naturam eſt credibile, vt Pli-
nius aſſeuerat: Ita in creaturis,
MARIÆ, DEO deſponſæ, au-
ctor naturæ formæ palmã con
ceſſit: nullumq; è puris homi-
nib. illa pulchriorem effinxit
hactenus.

Non colligo Patrũ in hanc
rem ſuffragia: ſunt enim plu-
ra, quam vt è tabulis, vno die,
poſſint recitari. Pauculis ta-
mẽ vos non defraudabo, & ma
gis

gis illustribus. Clarissime summus Theologus & vniuerse oratione de Christo patiente pronunciat, Mariam reliquas fœminas superasse pulchritudine.

Lib. de laudib. Virg. Art. 34. Non id satis visum Alberto apud Dionysium, opusculo de laudibus Virginis: vbi respiciens fortasse ad Pauonis elogium, ait, tantam pulchritudinem habuisse DEIPARAM, quanta secundũ naturam corpori poterat inesse. Vt non male dixerit Andreas Ierosolymitanus Episcopus, Sermone de Assumptione: videri sibi MARIAM, veluti statuam Artificis cælestis dextera adfabre sculptam, pictamque ac pulchritudinis eximię. *Cap. 27. Cant.* Nimirum, quod adfirmat Ri-

Richardus Victorinus, Canticorum interpres: vultu, formaque Angelica, tam mente, quã corpore erat decorata. Id significãtius abstracto, vt loquũtur Philosophi, q̃ concreto, se explicare posse existimãs, Ioannes Damascen. pulchtitudinis Marianę admirator in paucis, & amator excellẽs, oratione prima de Natiuitate, vocat DEIPARAM, naturæ humanę venustatem, mulierũ ornamẽtũ: &, vt *Pauum agnoscas*, omnibus pulchritudine superiorẽ alitibus: addit: non esse illi visã similẽ. Quod carmine expressit Bernardin. ad Xistum IV. Pontificem Max. nos idipsum Auditoribus nostris ad Patronæ suæ encomium adplaudẽtibus occinamus.

Nulla fuit tanto mulier redimita decore,
Quæ speciem superet Virgo MARIA *tuam.*
Candidior niueo rutilas Regina colore,
Et radiis cedit clara Diana tuis.
Luna suum perdit tecum sociata decorem,
Atque comes nullum Sol tibi lumen habet.

Rationum agmen non explico, dēsum, ac varium, quod pro MARIÆ magis, quam vllius alterius pulchritudine militat. Si pulchritudo ex optima complexione, tēperamento, aptaque membrorum proportione prouenit: quæ, quisue in his cum Virgine Sanctissima est comparandus? Nam in

in ea fuerunt libera ab omni contagio: & in eo gradu, qui vel ſummus eſt, vel huic proximus: tantæ pfectionis, vt morbi omnis expers futura fuiſſet MARIA, niſi amoris exceſſu, tenerrimam turbaſſet, abſque omni culpa, temperiem, vt grauiſſimi Auctores aſſerunt. Non depingo membrorum ſymmetriam, ſuauitatem coloris, figuram formã, ſimilia ſexcenta, quorum vel delineatio annum exigit. Non pendo argumentum à pulchritudine Chriſti, filij, quod in hac re eſt minime contemnendum. Si enim verum eſt, quod nemo hactenus negauit Philoſophus, & docet Ariſtoteles Phyſicorum ſecundo. Natura eſt vis inſita rebus ſimilia ex ſimi-

Galat. l. 7. cap. 10. Caiet. Op. de ſpaſmo.

similibus procreans. Quocirca, nisi natura impediatur, similis parenti est proles, quæ lineamenta quoque gignentis præfert, vt ex venustissimo filio venustissimam fuisse matrem non male colligat. Quã autem pulchrum putatis fuisse
Psalm.44. ChristumMaria genitum? Nõ potuit exprimere Dauid, quãuis eloquentissimus: ideoque breuiter, ne in Epithalamio, vbi proprius commẽdationis locus siluisse diceretur: *Speciosus*, inquit, *forma, præ filiis hominum.*

Niceph.lib. 1.cap.vlt. Non potuisset verbis concisius, sensu laxius. Sane, Nicephorus non ignorans huius vim argumenti, postquã Christi formam, calami sui penicillo, tanquam in tabula depinxisset,

xiſſet, commendaſſetque eximiam pulchritudinem, adiũgendum putauit: Similẽ fuiſſe per omnia diuinæ & immaculatæ ſuæ Genitrici. An igitur Chriſtus Matrem referebat? an hæc potius Filium? Quicquid dixeris, pulchritudinis ſummam in Maria collocabis: Specioſa præ filijs hominum. Placet admodum illud Ambroſij: *Chriſtus Matrem corpore, virtute, referebat Patrem, pulcherrimus filius, Mater pulcherrima.* *Ambr. lib. 3. de Virg.*

Sed nihil ad ſponſæ cæleſtis pulchritudinem pauoniam, & plane incredibilem inſinuãdam magis valere puto, quam factum, quod referam. Viſa eſt ne vnquam, auditaue pulchritudo talis, vt optione propoſita,

ſita, elegerit vir ſanæ mentis, & ſapientia ſingulari, potius illam vel ſemel per ocium contemplari, tumque oculis carere libenter, quam retinere lumina, & non frui per horulam tantę elegãtię intuitu? Hoc votum fuit Marianæ pulchritudinis cultori, & voti reus damnũ non exhorruit. Haud me celebrare putes illum, qui petenti amico oculos, mox effoſſos tranſmiſit in pixide; laſciue amantis id fuit, & deliri. Adoleſcentem deſigno, in ætate florente etiam tunc in clerum relatum, Virginis amatorem feruentiſſimum. Hic ardebat deſiderio contemplandi venuſtatem DEI-PARÆ. Id à Virgine, vt indulgeretur ſibi, id à Sponſo efflagitabat enixe

Refert factũ Florentiæ Ph. Boſquier Con. 3. de Paſſ.

enixe. Liceret id ſibi antequam hinc emigraret, bona illius venia. Vrgebat, inſtabat, anhelabat, ſuſpirijs, voce, gemitu. Annuit tandem Virgo, ablegat Angelum, copiam ſe videndi offert pacto interpoſito, vt oculis, quibus pulchritudinem mortali maiorem vidiſſet, nihil caducum deinceps cerneret: imo, illis actutum orbaretur. Accepit cum plauſu ſponſionem feruidus amator, adeſt dicta die Domina: viſendam ſe præbet adoleſcenti. Ille vnius oculi retinendi deſiderio quo flagramus incredibiliter omnes, callide alterũ claudit, alterutro aſpexiſſe contentus. Illum itaque in diuinam prope Matris DEI pulchritu-

dinem iactat, ibi hæret, habitat, rapitur, deficit, pene exanimatus.

At, cum animaduerteret, ne quidem, ſi ipſe totus oculus fieret, ad tantam percipiendam pulchritudinem ſatis eſſe, audaci, ſed generoſo immo dice amantis impetu, alterius quoq; palpebras adducit, vtroque paratus orbari, modo tantę venuſtatis aſpectu paulo ſolutius frui daretur. Non tulit aſtum Virgo, quare quantocyus illius ſe obtutibus ſubduxit.

Adoleſcens vno oculo deſtitutus, quo ſponſam noſtram viderat, dolebat vehementer, non quod vnum amiſiſſet, ſed quod altero videret, quo tantum decus non conſpexerat.

Igi-

Igitur triſtari, gemere, verſare ſe in omnem partem, rogare, obteſtari, ſupplex fieri Dominæ, iterum, iterumque, daret hoc affectui & inflammatiſſimis deſiderijs, vt altero quoq; oculo videre ęque ac carere liceret. Offert ſeſe iterum, qua eſt in ſibi addictos, teneritudine amantiſſima Mater: dilatat quem habebat, relictum ſibi oculum, Clericus, videt, quod concupiuerat, fruitur aliquamtiſper, oculum contemnit, ſubtrahit ſe Virgo, miraturque adoleſcens gemino ſe cernere, quum nuper alterum amiſiſſet. Nēpe, Virgo pro ſua bonitate, illum quoq; quo priuatus fuerat, reſtituit. Incredibilis profecto ſit illa pulchritudo oportet, cuius con-

templandæ gratia non dubitat sapiens carissima oculorum lumina ponere. Quam pulchra es, & quam decora ca-
Cant. 7. 6. rissima in delitijs! Quam pul-
Cant. 4. 1. chra es amica mea, q̃ pulchra es! Auerte oculos tuos, à me, quia ipsi me auolare fecerunt. Vere, pulchra es amica mea, & suauis. Merito pulchritudinem tuam Sol & Luna mirantur, Mater pulcherrima ora pro nobis.

Pulchritudo animæ Pudicitia. At *fallax gratia & vana est pulchritudo* (Hebræus codex habet; *Mendacium est gratia, & Vanitas est pulchritudo*) *Mulier timens Dominum ipsa lau-*
Prou. 31. 30. *dabitur*. Ita est sane: pulchritudo corporis, nisi animi pulchritudini iuncta fuerit, est mera vanitas, herba solstitia-

lis,

lis, fœnum tectorum, præda temporis. Igitur alia quęrenda in Sponsa pulchritudo. quænam illa? Virtus: & ea maxime, quæ fœminarum est decus, Puritas, Castitas, eximius quidã ornatus, quem sanctitatem vocare possis. Hanc quoque exprimit, velut imago Pauus, qui nõ minus puritatis, quam pulchritudinis est studiosissima, quod alibi demonstratũ pluribus, non repeto nisi illud, munditiei addictũ esse magis, quã credi possit: ideo enim gradu composito incedit, ne inquinetur: & dum est pullus, si madidus sit, & polluatur, expirat, spurcitiæ ac sordium impatiens. Propria hęc dos fuit Mariæ sponsæ, integra commendatione exornanda: nunc sat

Anselm. de concept. Virg. ca. 18. sit dicere, cum Anselmo: *Decuit vt ea puritate Virgo niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi.* O Pauonem, quo mundiorem alitem, fingere naturam solere rectè negaueris.

Pauo diuitiarũ Symbolum. Porro, nihil magis proprium videtur Pauoni in Symbolica sapientia, quam repræsentare diuitias: Idcirco Iunoniam dictam volũt, illiq́; DEÆ tanquam diuitiarum Præsidi dicatam. Causa omnib. est obuia. Hanc quidam esse putant, quod diuitiæ sint tamquã Pauonis deaurata & oculata cauda, quæ mortalium ad se oculos pertrahat.

Vna est MARIA, quæ Angelorum & hominum diuitias omnes possedit, & insuper supergressa est vniuersas. *Multæ filiæ*

filiæ congregauerunt ſibi diuitias, inquit Sapiens, *Tu vero ſupergreſſa es vniuerſas.* Ideo vna ſponſi cæleſtis columba: ideo vna perfecti perfecta: non iam Regina, ſed Regina Reginarum. Prouer. 31.

Liceret vtinam, lectiſſima ſponſa, in diuitiarum tuarũ repoſitorium irrepere, in facultatũ tuarum theſauros ingredi oſtentarem virtutũ milliones, donorum talẽta, aureos, abſq; fictione gratiæ diuinæ montes tibi in dotẽ promiſſos, & deinde ſecure poſſeſſos: gemmeã naturalium qualitatum ſupellectilem: cymelia, Teq;, Sponſoque tuo digniſſima: mundũ muliebrem decantato Ægyptiæ Cleopatræ, Cariæ Arteniſiæ, Aſſyriæ Atoſſæ pretio-

ſiorem: nullo non auro, licet obryzo, nullis nõ gẽmis, licet Orientalibus, nullã nõ purpuræ, licet Indiæ tinctæ colorib. præferendam.

Gratia plena tripliciter explicatum.

Sed dicam mihi merito ſcribat paranymphus Gabriel, qui, quo breuius, eo plenius, quicquid in MARIÆ theſauris eſt reconditum, duab. voculis incluſit; GRATIA PLENA. quibus diuitias diuinæ ſponſæ ſignificari mihi omnino perſuadeo. Nam, non ſolum mẽs erat illi Nuptiarum procuratori Angelo dicere ſpõſam eſſe gratia plenam, hoc eſt, Deo gratiſſimam, dilectiſſimã, gratioſiſſimam, præ omnibus rebus creatis: quamuis & hoc inſinuet participium, κεχαριτωμένη: & innuat Orator cæleſtis,

ſtis, dum ſubiungit: *Inueniſti gratiam apud* DEVM. Ac ſi dicat: Præ omnibus rebus Te diligit, Domina. Tam illi es cara & tantopere oculis eius Maieſtatis placuiſti, vt incredibili fauore, & nulli alteri communicãdo priuilegio, Te deſignarit, vt eius filij ſis Mater, cuius DEVS ipſe, nec alius, eſt Pater. Neque tantũ hoc prædicabat Gabriel, quod gratiæ donorũque omnium fontem in vtero ſuo, tanquam capaciſſimo theſaurorum receptaculo, contineret, & nouo quodã, ac æternus inaudito modo, viſcerib. ſuis cõplexura eſſet. Verum etiam, gratiæ plenitudinẽ ac abundantiam illius ſingularem exponebat. Hanc enim, vox illa, ꝙ noſtri temporis ſectarij,

magni videlicet Grammatici, nõ capiunt, ſignificat, vt docet doctiſſimus Athanaſius Homilia de DEI-para: Epiphan. Hęreſi 78. S. Ambroſius in Lucæ cap. 1. Auguſtinus in Enchirid. cap. 36. Et Serm. 13. 14. 15. 18. 21. de Tempor. Hieronymus Epiſtola ad Princip. Euſebius Emiſſenus Homil. ſuper Miſſus eſt. Bed. in Lucam. Auctor Sermon. de Aſſumpt. B. Virg. nomine Sophronij aut Hieronymi editus.

In multis conſiſtit plenitudo gratiæ B.V.

Quas ergo diuitias ſignificabat paranymphus inuſitata hac ſalutandi formula, GRATIA-PLENA? Quas non ſignificabat? Omnes, vel annumerare infinitum eſſet, in epitomẽ paucarum nomina cõijciam. PRIMO, indicabat, illam gra-

gratiæ plus habere, quam omnes Angeli, Deoque cari homines. Hoc suggerit Auctor sermonis de Assumptione B. V. qui *Bene*, inquit *Gratia plena, quia ceteris per partes præstatur gratia, Mariæ vero, se tota infudit plenitudo gratiæ.* Et mox: *In Mariam totius gratiæ plenitudo, quæ in Christo est, venit.* Audax dictum, quod bene mitigat adverbio dissimilitudinis, *quamuis aliter.* An dicere voluit;
Christum gratiæ plenum fuis- Io. 1.
se, vt fontem, Mariam, vt fluuium, fonti proximum, qui etsi aliter, quam fons, imo minus etiam nonnihil contineat, pleno tamen & ipse fluit alueo?

Secundo. Fuit in cœlesti sponsa plenitudo Gratiæ: quia tria sunt, quæ vel opponuntur

Gratiæ, vel caritatis, quæ semper Gratiæ comes est indiuidua, feruorem minuunt, nominantur à Theologis, originale peccatum, & lethale, quæ duo cum Gratia cohærere nō possunt, ac veniale, quod caritatis æstum refrigerat. B. Virgo fuit plena Gratia, quoniam habuit illam ab omni contrario repugnante, & retardante alienam omni enim peccato, siue mortali, siue veniali, siue primordiali originis caruit.

Tertio. Quia ita fuit in bono Gratiæ confirmata, vt conflictum carnis, cum spiritu; sensus, cum ratione; partis inferioris, cum superiore: hominis externi, cum interno; mentis, ac corporis nunquam senserit. ô tranquillitatem inuidēdam!

Hæc

Hæc affectum, tanquam pelagi blandientis malatia, perpetuo comitabatur: siquidem affectus animi, qui in ceteris hominibus rationem aliquando pcurrunt, & non raro perturbant, ac interdum ad se pertrahunt, in Patrona nostra, ita fuerunt, priuilegio Dei singulari, constricti, repressique, vt nunquam rationem præuerterint, perturbarint, ac multo minus à bono deflexerint.

Quarto. Quoniam assidue in bonis gratiæ operib. crescebat. Quantus hinc diuitiarum cumulus, cum nũquam incrementũ caperet, pene infinitus cotidianorum meritorũ aceruus. In quolibet n. opere, verbo, cogitatione merebatur. Haud ita aliorum, quãuis sancti-

ctissimorum, augetur peculium, stant illi aliquando, nec vltra procedunt semper. At Virgo cælestis, proficiebat sẽper, nec cessabat vnquam à bono. Non illam vigiliæ diurnæ, non quies nocturna à velocissimo cursu retardabat. Aiebat etiam nocte: *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

Quinto. Quia nouo stupendoque priuilegio cognoscebat esse, se in bonis gratiæ confirmatam, non quomodocunq; sed ita, vt sciret certissimo se nunquam lethaliter, aut venialiter peccasse, peccaturamue. Quam secura fuit hęc immensi thesauri possessio!

Sexto. Quoniam abundabat virtutum innumerabiliũ gaza opulentissima. Siquidem cumu-

cumulata erat virtutibus ſan-
ctorum omnium, imperfectio
ne qualibet dempta. In ea ex-
cellebat fides Patriarcharum;
ſpes Prophetarum; caritas A-
poſtolorum; fortitudo, con-
ſtantia, patientia Martyrum:
ſobrietas, & temperantia Con
feſſorum; caſtimonia virgi-
num; Religioſorum officioſa
obedientia; tacita & ſecreta
Monachorum humilitas: vo-
luntaria Eremitarum indigen
tia; Paruulorum manſuetudo,
fæcunditas coniugatorum; re-
ligio viduarum; puritas Ange-
lorum.

Septimo. Quia ita plena e-
rat, vt redundaret, pleniſſima
ſane illa arca diceretur, in qua
tantum numorum eſſet, vt fo-
ras protuberarent aliqui. Non
legi-

legiſtis vnquam virtutes Marianas, vel ſolo aſpectu, ad alios deriuatas fuiſſe? Eius qui modeſtiam, adfabilitatem maturitatem contemplabatur, imo qui radiantem eius faciẽ aſpiciebat, ad virtutis cultũ, ſed caſtimoniã potiſſimũ, ac pudicitiã ſe excitari, animariq; ſentiebat. Ita refert ac adprobat S. Tho. Aquinas, in tertiũ Magiſtri ſententiarum. Diſt. 3. Q. 1. Ar. 2. Quæſtiuncul. 1. ad 4. Addit vero Alenſis, Parte tertia ſummæ, Q. 9. Memb. 3. Art. 1. Quod ſi illa aſpiceret aliquos in eis libidinis mot⁹ extinxiſſe. Sic etiã D. Bonauentura, in 3. Diſt. 3. par. 1. Art. 2. Q. 3. Gabriel, Q. 2. Art. 3. Dub. 1. Legerant hi dubio ꝓcul, ꝙ habet virginitatis laudator, amatorq; præcla-

clarus Ambroſius lib. de Inſti-
tutione virginum, c. 7. *Tan-
ta erat eius Gratia, vt non ſolum
in ſe virginitatem ſeruaret, ſed et-
iam ſi quos inuiſeret, integritatis
inſigne conferret.*

Octauo. Ad diuitiarum Ma-
rianarum ęſtimationē ſpectat,
q quicquid in ipſius theſauris
eſſet, tanquam moneta ex au-
ro primæ notæ, ſummū habe-
ret valorem. Clarius: Ad pleni-
tudinem Gratiæ, qua ſpōſa cæ-
leſtis donata erat, plurimum
faciebat, quod in ea virtu-
tes quælibet ad culmen perfe-
ctionis peruenerant, quale qui-
dem pura creatura poteſt at-
tingere. In reliquis ſanctis,
hæc, aut illa virtus, vſu & fun-
ctione operis ſolet excellere,
non omnes in ſingulis. At in
Dei parente futura, ſingulæ

iam tunc erant consummatæ & perfectæ.

Nono. Quoniam primo temporis pũctulo, quo fuit cõcepta, in vtero matris, gratuito Dei munere, liberum rationis vsum habuit, in his quæ pertinent ad Dei cultum, ac meritum bonorum operum. Ita censet S. Bernardus, sermone 51. de B. Virgine, c. 2. Art. 1. Caietanus Part. 3. Q. 27. Art. 3. Viguerius in Theologicis Institutionibus c. 5. §. 3. v. 9. Quocirca in eo primo temporis momento, quo in vtero matris esse cepit, gratiam & sanctitatem accepit per liberum voluntatis consensum, quo se præparauit ad gratiam recipiendam.

DECIMO. Quia opulentiæ

tiæ Marianæ infinitus quodammodo fuit cumulus. Tria namque sunt, quæ, si à Deo ab ieris, quandam infinitatem continent. Clara DEI visio, qua fruuntur beati. Non potest enim esse visio melioris obiecti. Natura humana Christi. Quia nequit esse natura melioris, aut maioris personæ, cum sit suscepta à DEO in vnitatem personæ. Mater Dei, siquidem non potest esse filii melioris, aut maioris mater. Habent itaque hæc quandam infinitatem, nempe magnitudinem, ad quam finita nulla pertingit. Vere Domina, *Multæ filiæ sibi congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.*

Viue Mydæ gazis, & Lydo ditior auro,

Troi-

Troica & Euphratæ supra diademata felix.

Prodigia quædã humanarum narrantur opũ. Et q̃, Ptolomęus Varroni narratus, octona equitum millia pecunia sua tolerauit, mille cõuiuas totidẽ aureis potoriis, mutansq; vasa cũ ferculis saginauit. Et q̃, Pythius Bithynius, qui platanũ aureã, vitemq; nobilẽ, & tot encomiis celebratã Dario donauit, Xerxis copias militares, nimirum, centena 86. hominũ millia excepit epulo, stipendiũ quinq; mensium frumentumq; pollicitus. Et q̃, Crassus, idcirco Diuitis nomẽ adeptus, legionẽ annuo tueri reditu potuit, cũ ipse in agris sestertium M.M. possideret. Sed quãtula hæc portio ad immensos mystici *Paui* thesau-

ſauros? Anni iã ſunt mille ſex cẽti, & quod excurrit, quid dico? quinq; millia annorum, etſi plura ſunt, ab orbe condito, quib. copioſiſſimum cõmeatũ gratis dedit, hominum multitudini plane innumerabili, vna hæc, quæ, tanquã oneraria Inſtitoris magni, de lõge portans panẽ, quotquot nõ in Eccleſia ſolum Chriſtianorũ, ſed & ſynagoga Hebræorũ fuerũt, pauit, paſcetq; in omnem æternitatem venturos.

Iã ego pauperiẽ rideo, quæ hactenꝰ, opulentiæ titulo, celebrata fuit, ſiue Chinẽſis Monarchæ, quem centum quinquaginta milliones annuè recipere gentis illius hiſtorici aſſerunt. Siue Dictatoris Cæſaris, cui ingens viſum, poſt ſuba-

ctum

ctum orbem, post tot exercitus eductos, tot terra, marique prælia confecta, auri debuisse milliones sex. Siue Claudii Cęcilii, qui testamento edixit, quamuis multa ciuili bello perdidisset, relinquere se tamen seruorum millia quatuor, centum 16. iuga boum tria millia sexcenta, reliqui pecoris cc. quinquaginta septem millia: in numerato H. S. D. C. Quot serui, clientes, famuli nostræ sunt Dominæ? myriades myriadum. Siue Imperatoris Turcarum, qui in redditibus habere dicitur, sexagies centena millia aureorum. Siue deniq; Salomonis, cuius aurum, argentum-que diligenti calculo in summam vnam coactum, fuit quater mille, sexcenti octogin-

Iou. in vita Solimanni. Villalp. To. II. Ezech. p. 1c. D. 3. c. 49. & seq.

ctoginta sex milliones ducenti triginta tria millia centum viginti quatuor. Multi Reges & Imperatores congregauerunt sibi diuitias, Tu Imperatrix vniuersi supergressa es vniuersas.

Verum diuitias in Sponsa, non tam attendit generosus animus, quam nobilitatis auitæ insignia. Et hanc quoque *Pauo* repræsentat. Quis ignorat, vel mediocriter eruditus, sicut Iouis Aquilam, ita *Pauum* Iunonis inter se, & in auium genere de Imperio contendisse? Ac multa sunt, quæ *Pauo* patrocinantur.

Pauo nobilitatis insigne.

Nam si forma nobilitatem indicat: species n. corporis simulacrũ est mẽtis, vt elegãter dixit Ambrosi⁹. Si Euripidi eã

Amb. lib. 2 de virg. Euripid. apud Por. c. de spec.

S ob

ob causã, Priami species digna est Imperio. Si legum periti, ex duob. quorũ æqua est conditio, æqualib. suffragiis ad dignitatẽ Principis electis pulchriorem p̃ferendũ iudicant, vt habet Bald⁹ in proœ. Decretaliũ, & Bart. in l. 2. in pr. ff. de furtis, quo formosior est, quã Aquila Pauus, eo nobilitate maior, magisq; imperio dignus existimari põt. Et nõne *Pauo*, cum capite sit paruo, ac quasi serpentino, q̧ prudentiæ dat indicium, lõgis pẽnis coronato, quasi cono in sublime elato, pulcherrimo venustissimoq; atq; illo ad maiorẽ elegantiam ruso, imperatoriã nobilitatẽ ostentat? Pluma Pauoni in capite instar coronæ est, vt Reginã agnoscas.

Nobilitas Mariæ. Nobilitatis dotem in diuina sponsa nõ dissimulauit Euange

lista, cũ scripsit Angelum missum ad virginẽ despõsatã viro, cui nomen Ioseph, de Domo Dauid: & orator cælestis de filio ex illo nasciturо, *Dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius.* Erat ergo benedicta virgo ex nobilissima tribu Iuda & regia familia Dauid.

Nec moueat quempiã, vt cõtrariũ arbitretur, q̄ Elisabeth, q̃ erat de filiab. Aarõ, dicať illi⁹ cognata: fas n. erat, fæminis, q̃ fratres habebãt, ideoq; heredes nõ erãt, nubere quib. vellẽt. Sic Aarõ de tribu Leui vxorẽ habuit Elisabeth de tribu Iuda: Booz vero de tribu Iuda, Ruth Moabitidẽ: Dauid a. de tribu Iuda Michol, filiã Saul de tribu Beniamin: Salomon quoque filiam Regis Pharaonis. Deni- *Exod.4. Ruth.4. 1.Reg.18. 2.Par.28.*

que, Ioädas Pontifex Iosabeth filiam Ioram,& sororem Ochoziæ Regum Iuda. Et est admodum verisimile, sororẽ aliquam B. Annæ, virum duxisse, ex Aaronica tribu, ex qua Elisabeth procreata sit, sicut B. Anna Ioachimo nupsit de filiis Dauid, ex quo Maria.

Animi nobilitas in B.V.

Sed alia fuit, magisq; suspicienda & adamanda in Virgine nobilitas, quæ animæ vocatur, & à virtute, nisi voce, non distinguitur. Non tam facit nobilem atrium fumosis plenum imaginibus, quam virtus vera. Animus nobilem reddit hominem, cui ex quacunque conditione ad altissima licet, & super fortunam assurgere. Animus bene ad virtutem cõpositus, eaq; auctus, nobilis est: reli-

reliqua longa ſeculorum varie
tas miſcuit, & ſurſum deorſum
que, vt ille aiebat, verſauit. No
ta ſunt ICtis de vera nobilita-
te verſus.

Nobilitas hominis mens eſt, Deita *Tiraq. de Nobil.*
tis imago.
Nobilitas hominis virtutum cla-
ra propago.
Nobilitas hominis humilem rele-
uare iacentem.
Nobilitas hominis niſi turpia nul-
la putare. (*tueri.*
Nobilitas hominis naturæ iura a *a tenere.*
Nobilitas ſola eſt, animum quæ
moribus ornat.
Nobilitas morum plus prodeſt,
quam genitorum,
Si pater eſt cunctis Adam, ſi mater
& Eua,
Anne ſumus omnes nobilitate
pares.

Degenerãt homines vitiis, fiuntq́; minores
Exaltat virtus, nobilitatq́; genus.

Hæc nobilitas Dei Sponſam hominib. auguſtiorem reddidit, ſuperiorem ſideribus, cælitibus parem, imo, ſublimiorem. Bene enim rareque Ephrem, egregius cultor Virginis. *Sublimior eſt Maria cœli incolis, purior Solis radiis, honoratior Cherubin: ſanctior Seraphim, vltra omnem comparationem ſupernis exercitibusglorioſior.* Neque id mirandum, quia vt Doctorum conſenſu, ſcripſit B. Idiota, vir profana ſapientibus omnibus doctior: *Maria cunctorum congeſta in ſe habet priuilegia ſanctorum, cui nemo æqualis eſt, nemo maior, niſi ſolus Deus.*

Hanc

Hanc nobilitatem consectemur Dominæ nostræ imitatione illecti. Nam alioquin, hac omissa cura,

Stemmata quid faciunt, quid prodest Pontice longo
Sanguine censeri, pictosq; ostendere vultus
Maiorum, & stantes in curribus AEmilianos.
Quis fructus generis tabula iactare capaci
Famosos equitum cum Dictatore Magistros
Si coram hac Domina male viuitur?

Iā vero, mirū videri poterit, si *Pauum* in humilitatis exemplū adducam⁹, quē ceteri ante nos arcanæ scientiæ gnari, vt superbiæ symbolum proposue- *Pauo humilitatis symbolum.*

runt ob eam forte causam, quia

Fastus inest pulchris: sequiturq́; superbia formam.

Nimirum,

Delectant etiam castas præconia formæ.

Et nonne *Pauo* gemmantes laudatus expandit alas cum iactatione quadam superbissima colores ostentans aduerso maxime Sole, quia sic clarius vibrant & collucent? Nonne gloriȩ cupidissimus, quo laudatur magis eo maiore ambitione se gerit plausum captans? Nonne, si quis reprehendat, cauda statim recondita monitorem auersatur? Quid quod non caudam solum tot stellulis distinctam, & oculis collucentem ostentat, sed etiam ceruicem ia-

iactat, & ex pennis, quæ non mediocre decus adferunt, maximos ſpiritus ſumit, & inſolẽtiæ pleniſſimos?

Sunt hæc vulgo nota: & fateamur, ſed hoc ad noſtrum ſymbolum facit, & pro Humilitate: quod cùm *Pauo* pulcherrimum ſe eſſe haud ignoret, & vbi nam ſit ſita formæ pulchritudo, difficileque ſit ſuperbiæ impetus reprimere, domi ſuæ remedium inueniat, quo morbo huic medeatur. Erigat licet & expandat tot veluti ſiderum luminibus ſcintillantem caudam, ſi pedes intueri lubet, quod facit non raro, cadit faſtus, nullumque erit ab oſtentatione ſuperba periculum: clamabit potius eiulanti ſimilis, pedum deformitatẽ agnoſcẽs. *Pauo pedes intuens.*

Scal. Exer.

Quod tametsi rideat Iulius Cæsar Scaliger, & anicularum fabellas, à Cardano hæc narrãte prodi, adfirmet: experientia tamen id ipsum testatur, & diuerbia inde sumpta opinionem stabiliunt.

Tria symbola principum.

Placetq; admodum, quod ingeniose comminiscitur D. Hieron. tria symbola Principibus necessaria in trib. à Salomone ex India aduectis animalib. contineri. In Elephantis ossib. Mortis imaginẽ: in simia; rationis speculũ: in *Pauo* demissionis exẽplum, vt laudati à parasitis, pedes adfectuũ suorum puluereq; ex quo facti sunt, & in quem resoluentur aspiciant ac sub potenti manu Dei humilientur, & recordentur petitionis illius: *Ne tradas Domine sceptrum tuum his, qui non sunt.*

S. Hier. in Isaiam.

Esth. 14.

Vel ob vnicā hanc causam si nullæ aliæ suppeterent, PAVO hac potissimum spōsę cælestis solennitate inducendus fuisset in theatrum parthenicū. Nō egebat quidem vllo humillima virgo remedio ad arrogantiæ mot⁹ cōprimendos, cū nullis efferret, aut à ꝓfundissima demissione deflecteret. Tñ quoniā id suadebat ipsa virtutis cō ditio, vt se Dei-MATREM insolita quadā formula salutari audiuit, admirata nuncium ad pedes flexit oculos, id est, imā sui partem agnouitq; si relicta sibi fuisset, se non nisi fædis conspurcatam maculis, reliquarū instar esse posse, hancq; vilitatem suam versabat animo, quā deinde in Cantico *Humilitatē* appellauit. Hinc pclarum

illud & virgine DEI Matre dignum epiphonema: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Quid breuius, modestius, verecundius, magis humile ac demissum dici potuit, vna eademq; breuissima sententia, & suam producit abiectionem, & sponsi deprædicat sublimitatem, & DEO spõdet obsequium, & eius Oratori defert honorem. Quanta hæc humilitas honorari vt Matrem, & vocare se ancillam; esse Reginam & appellare se seruam: dici sponsam, & profiteri se famulam. Vere, Domina, ex equuta es, quod præclare monet Sapiens: *Quanto magnus es humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.*

Eccl. 3. 20.

At nondum dotes omnes spon-

ſponſæ protulimus. Laudari e- *Auis preciosa Pauo.*
nim præterea animaduerto in
diuinis oraculis ſponſam à pre
cio: *Procul & de vltimis finibus* Prou. 31. 10
precium eius, inquit verus æſti-
mator. Atque hanc æque, ac
alias *Pauo* repræſentat, olim
auis precioſiſſima. Ex barbaris
ad Græcos delata, longo tem-
pore ſtudioſis elegantiæ, ac
pulchritudinis precio ſpecta-
ta eſt Athenis, & viros ac mu-
lieres admittentes ad iſtiuſmo
di ſpectaculum, quæſtum eo
magnum faciebant. Magno
autem tum apud Romanos tū
Græcos vænijſſe conſtat. An-
tiphon ſane contra Eraſiſtra-
tum, narrat marem & fœmi-
nam mille drachmis, id eſt, cē-
tum Philippæis æſtimatos. De
quęſtu ex hac aue facto, admi-

randa scribit Plin. ac pene incredibilia. *Ecce non admirāda solum, sed & pudenda*, inquit Macrob. vt oua *Pauonū*, quinis denarijs vęneant, ipsi facile quinquagenis: grex centenarius facile quadragena millia sestertia vt reddat. Sed quid hoc ad precium sponsæ cęlestis, quod est plane inæstimabile. At ineatur saltē ratio aliqua: nō potest. Fuisse tamē videt' vmbra quædam vetus Regis pacifici basilica (nam & ipse Templū Salomonis salutatur,) ad cuius impensas, vt preciū colligere possis, reliquit solus Dauid moriēs auri talenta centum millia, argenti mille millia talentorum quæ summa efficit scutorum monetæ Romanæ argenti ter mille centum viginti tres millio-

Macrob. Lib. 3.

ſiones. Sed nec hoc quicquam eſt ad illius precium, cui occinimus, VIRGO INÆSTIMABILIS.

Itaq; haud inepte, vt exiſtimamus Sponſam DEI cū pulcherrima, opulentiſſima, pretioſiſſima alite PAVO comparamus. Noſtrum eſt ita Patronam, tanquam Sponſam venerari, vt eius virtutib. excolentes animum, illi, & in hac vita indiſſolubili nexu ſponſalitiæ gratiæ, & in altera, æterno cōplexu coniugalis gloriæ copulemur.

ORA-

ORATIO
OCTAVA.

Symbolum VIII.

OLEA.

MARIA-ANnunciata.

Sicut Oliua fructifera in domo Dei. Psal. 51. 10.

Mater intemerata ora pro nobis.

REVERSVS longis & anfractuosis itineribus ex amœnissimo loco, quem HORTVM MARIANVM vocari, ante hac indicaui, salutem fero omnibus vobis, à Paradisi illius

lius inquilinis, ſex Alitib. quas 6. Feſtiuitatum Deiparæ Patronæ N. animatas imagines inibi circumuolitare, alias à me accepiſtis. Is ijs autem, cũ choream ducat cæterarum coryphæa, amabilis Columba, quam anno proxime ſuperiori ſpectandam dedimus, ne minus ſit grata, ſi nouitate ſemper gaudentibus vobis viris Athenienſibus, iterum aduolet: Scire vos velim; conſpici in eodem Horto, totidem arbores, admirabili ſymmetria, ac plane diuino artificio ex analogia ad ſingulas volucres in altum eductas, ſuper quibus feſtiuiſſimæ auiculæ circumgyratiũculis annuis defatiga-

tæ fidunt quietissime, & per noctem nidulantur.

Arbuscula 7. Festiuita tis Symbola. Harum arbuscularum quæ libet, non minus est Symbolum Hortensis Diuæ, N. quam volucris ipsa, à qua incolitur. Itaque, vt Colũbula est typus Matris in Annunciatione Intemeratæ; sic Plantula, cui insidet eiusdem est icon. Et, vt omnia, quæ in Annunciationis Arcano latent, diuinis cõtemplationibus, & morum informationi opportuna, Colũbæ Symbolicæ figura bellissime exprimuntur, vt anno præterlapso, hac ipsa festa luce est demonstratũ: ita Arbuscula, in qua nidũ habet, forma, ac proprietatib. eadem aptissime repræsentantur. Quod hodierna die, cælitibus, vti reor, non inui-

inuitis: Cælitũ Imperatrice, ꝙ spero, adfulgente; vobis Magnæ Reginæ Clientulis, quod certus sum, ad Cælitũ æmulationẽ cultui Matris intemeratę deditis applaudentibus, est, verna hac Cõmẽdatione, licet necdum florida, & minus amęna, ac pene fuliginosa, quippe hypocausti Germanici haud minus q̃ sudatorij Laconici nidorem redolente, declarandum. Attendite.

Plantulæ, quæ *Matrẽ* in Annunciatione *Intemeratã* repręsẽtat Symbolice, & in qua speciosissima Colũba eiusdẽ imago, residet, est OLEA, vel OLIVA. Cui imprimis cum Colũba est singularis quædã consociatio, sympathiam vocãt Philosophi. In mentem hîc vobis veniat,

Olea & Columba Sympathia.

veniat, admirabilis COLVMBA, quā orbis Reſtaurator Nochus, ex ingenti illa ſua oneraria, cui vniuerſum ipſum incluſerat, emittens, nunciā agere voluit ceſſantis cataclyſmi. Hæc libere, per vacuum Orbem volitans, vt circumquaque curioſiſſimo ocellorum iactu ſpecularetur mundi paulo ante eluuione merſi, nunc iterum protuberantis, emergentis denuo vaſtitatem & rudera, cum reſidere potuiſſet, vel in exaltata Cedro, vel in victrice Palma, vel in montoſa Cupreſſo, vel in duriſſima Quercu: vel in prudentiſſima Moro, vel ſuauiſſima fico, vel florentiſſima Amygdalo: his tamen omnibus ſpretis, & tot alijs fruticum, plantarum, arborum

borum generib. elegit, in qua pedunculum collocaret suum quamque rostello impeteret exploratrix sapientissima Oliuam.

Quocirca ad Arcā rediens portauit, vt est in sacro Codice, *Ramum Oliuæ virentibus foliis more suo.* Lxx. legunt, φύλλον ἐλαίας κάρφος: id est, *Folium, oliuæ surculum, aut vt alij,* Festucam, nimirum frondosam festucam; vel rami surculum supremum tenuiorem, vt exponit Delrius; potuit enim illum Columba rostello suo diffringere. Quare, vt obseruat Leonardus Marius, κάρφος hic non ponitur pro ramusculo arenti, & sicco, qualem ex etymo significat. Nam κάρφω idem est, κάρφω,

Ramus Oliuæ.

quod

ξηραίνω. quod ξηραίνω, *arefacio* : Sed absolute pro ramo tenuiore.

Iosephus Θαλλὸν ἐλαίας κονιζούσης : quod proprie dicitur de ramo folijs germinãte. Est namque discrimen inter θάλλειν ἀνθεῖν. θάλλειν & ἀνθεῖν, quod hoc ramis florentibus, illud frondentibus ac germinantibus conueniat.

In Hebræo est, טרף בפיה והנה עלה זית ghalch Zaith taraph bephiha. *Et ecce ramus, seu folium Oliuæ raptum in ore suo*, vt Arias Montanus vertit : vel, *Ecce folium Oliuæ, ramus in ore eius.* vel : *deferens ore folium Oliuæ raptum, aut discerptum ore suo.* vel, *ecce folium Oliuæ raptum in ore eius.* Chaldæus.

dæus. Et ecce folium Oliuæ, quod diſcerpſerat ore ſuo. Originalia optime explicat R. Dauid in libr. radic. Senſum clare reddit Benedictus Fernandius. Columba reperit Oliuam, è qua tenellum ſurculum virentem folijs diſtinxit, oreque prehenſum attulit ad Noë in arcam. Sibylla canit κάρφος ἐλάιας σῆμα φέρουσα. *Ramum frondentis Oliuæ ore ferens.*

Bened. Fern. ca. 8. ſect. 5.

Itaq; perquam cõmode *Columbam Oliuæ* iungimus. Vtraque autẽ mirandum in modũ hodiernæ celebritatis arcana pandit. Totum ipſum Annunciationis Myſterium ſi cõſideres, eſt, dicique poteſt immenſæ opus Miſericordiæ. Datum enim eſt hoc die initium Re-

Annunciationis Myſteriũ opus Miſericordiæ.

Redemptionis humanę, quod fuit benignitatis & liberalitatis Diuinæ. Quam, vt in genus humanum ostenderet hominum amator, ac patronus, Dei filius, necesse fuit, vt *per viscera Misericordiæ visitaret nos oriens ex alto*: quod factum hodie, prodromum, ac nuncium agente, & deferente ad Mariam, Gabriele: quem si, velut Columbam Noethicam oliuæ frondentis surculum, tanquã legationis suæ insigne, manu gestasse concipias, haud procul à vero aberrabis.

Luc. 1.

Oliua Misericordiæ.

Est enim Oleæ ramus, Misericordiæ, vel apud Gentes, Symbolum: sed peculiari quodam modo, Virginem in Annunciationis theatro denotat.

Quod

vt omnes intelligant: Quæro cum Antiſtite Mediolanenſi, lib. de Arca, & Noë, capit. 19. Qui fieri potuerit, vt oliua tam præpropere poſt diluuiũ floreret, ac germen emitteret? Hæret autem anceps ingenioſiſſimus Doctor: *Vtrum illud folium* (ita loquitur) *ante diluuium fuerit exortum, aut tempore diluuij.* Quicquid dixeris myſterio non vacat, quod eruamus. *Si ante diluuium*, inquit, *vir iuſtus Noë, gauiſus eſt, fructum de veteri ſemine aliquem reſeruatum: & inde collegit Miſericordiæ diuinæ inſigne, quod iam diluuium remouiſſet, quæ fructum demonſtraret, cui non potuiſſet nocere diluuium.*

Oliua tempore diluuij floruit. Itaque existimat Ambrosius, Ramulum illum Oliuæ germinantis fuisse signum diuinæ Misericordiæ, q̃ medijs in vndis, ac vniuersali vindicatricis Iustitiæ diluuio, & criminũ cataclysmo floruerit. Nec n. vlla aquarum eluuione absorberi, aut deflorescere potuit hæc Misericordiæ olea.

Iam contemplare MARIAM, velut oliuæ mysteriosissimæ fatalem plantulã: quæ ante diluuium floruit, in ipsa eluuione germinare non desijt: post aquarum inundationem Misericordiæ singularis fuit Symbolum. An non merito gaudeat vir iustus, fructũ de veteri semine aliquem reseruatum, & surculum admiretur,

retur, cui non potuerit nocere diluuium? Dicam hoc paulo explicatius, ac pene Theologice. Vniuersalis eluuio, q̃ quicquid habitat, obduxit, necauitque oẽm Adami stirpẽ: & qua quicquid fuit fruticũ, arborũ, plantarum rationabilium germinare desijt, imo, plane interijt, nã tam fuit aquæ, q̃ criminis, quo à Protoplasto concepto, edito, & in seram posteritatem deriuato, plãtarium generis humani vndis vindicatrix Iustitiæ, obrutum, absq; omni flore, fronde, germine iacuit. Nisi q̧, vnam in hoc arborum seminario Oleam nulla vis inundantis peccati, nulla obruentis omnia ærumnis malignitas, nulla Iustitiæ in omnes merito grassantis a- *Peccatorum vniuersalis Eluuio.*

cerbitas, lędere potuerit, nulla florē decutere. Mansit huic Oleæ perpetua iuuentus, inuiolata in communi eluuione coma.

Mariæ præseruatio. Hoc est, quod spinose fortasse, sed ad simplicē veritatē accommodate dicunt Theologi. Cum DEVS ex illa sua æternitatis specula præuideret, Adamum lapsurum in peccatum, indeq; posterorum omnium certissimam ruinam, nisi ipse aliquem communi exitio subduceret, ante omnem scientiam visionis illam, qua cognoscebat peccatum originarium reipsa contrahendum esse ab ijs, ad quos deriuatᷓ, statuisse singulari priuilegio, vt ab illo Virgo intemerata præseruaretur. Itaque ante pec-

cato-

catorum eluuionem inundantem, Olea nostra floruit, vt ex Adami stirpe fructus de veteri semine Innocentiæ superesset, & inde colligeretur Misericordiæ diuinæ insigne, qua scelerum diluuium cessaret in Annunciatione Verbi, quando fructus demonstrabatur, cui non poterat nocere diluuium.

Mons Oliuarum an aquis diluuij opertus.

Volunt Hebræi, Montem oliuarum non fuisse aquis diluuij opertum, atque è monte illo decerptum oliuæ ramum. Alij è Paradiso allatum referunt. Vtrumque fictitium existimo, si de monte, & Paradiso, sensu historico, loquamur; verissimum, si mystico. Est enim mystice, Mons oliuarum, Deipara, eademque

Paradisus Voluptatis, in quo posuit Dominus hominem, quem formauerat. Acute pius Poëta.

Ioan. David in Pancarp. Mariano.

Ille tulit mortem vitæ mala, tu aurea vitæ,
Mala refers, potior quis Paradisus erit?

Hunc Oliuarum montẽ, hunc Paradisum nulla inundãtium peccatorum deleuit, nulla operuit eluuies: in ijs semper Olea floruit.

Pergit Episc. Ambrosius. *Si diluuij tempore natum est folium, aduertit vtique Iustus* Noë *noua semina Misericordiæ fructificasse cœlestis, vt radices arborũ viuerent, & quasi resumpta anima fœtus germinarent vetustos, atque in assuetos partus redirent, quorum indicium præmissa fo-*

ſa folia demonſtrarent. Omnino ita eſt, in Oliua Myſtica q̃ nata eſt diluuij tempore, nimirum, cum orbē criminū Oceanus inuoluiſſet, noua ſemina miſericordiæ fructificauit cæleſtis benedictum ventris fructum, hodie concipiens: haud diu poſt, mundo ſtupente, editura.

Eſt, qui in hac ipſa figura Intemeratā Matrem vt Colūbā concipiendā exiſtimat; Chriſtum vt oliuæ ramū, certe per quam accōmodate ad Annūciationis Myſterium. Fingit is coruo ſimilem Euam fuiſſe, ex Arca emiſſo, cum mortuorum, nō viuentium Mater futura, vt ille, cadauerib. adhæſit; Quid enim aliud mortui gratię Dæmones, q̃ cadauera:

Eua coruus. Delrio in florid 13. In feſt. Aſſumpt.

Iam vero DEVS Opt. Maxim. volens partiariorum Luciferi lapsu vacuatas, nouis de gente noua, quã crearat, incolis, implere sedes: ex Arca, sinu illo omnipotentiæ suæ, Columbam emisit, Dominam nostram, animal humile, mundũ, fidũ in reuolãdo: cuius cor, & animus non in amaritudinis felle, quo prorsus caruit, sed in mansuetudinis, quo plane plena, melle situm norat, hanc emisit, cũ libertati arbitrij sui pmisit, qua præclare vsa, Ramum pallentis oliuæ retulit, Filium vnigenitum cuius in natali, Pax bonæ voluntatis hominibus denunciata.

Maria Columba.

Christus incarnatus, Oliua ramus.

Hunc ore ramũ accepit hodierno die amabilis columba cum dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuũ;*

Eundem ramum retulit Noacho, generis humani Redhibitori, Deo, quãdo de castissima Virginali enixa Saluatorẽ nostrum: qui (cedat titulo quem per iniuriam occupauit Berezynthius) qui solus in quã potest dicere, se gymnasij florem & olei decus fuisse.

At fortasse, nihil æque mirandum hoc die accidit, quam intemeratam Matrem, illæsa Virginitate, Spiritus diuini illapsu fuisse foecundatam. Et huius prodigij in Oliua imaginem, contemplor. Sostratus Bizantinus, apud Achillẽ Tatium lib. 11. refert, lucum Bizãtij & in ea Oliuam, quam stupendo successu dicitur imber igneus imprægnasse. An non Mariam Virginum Virginem

Oliua Bizantina.

Imbre igneo imprægnata.

imber igneus imprægnauit, cũ voluntaria Spiritus sancti pluuia in eius prolapsa sinũ, Matrem fecit, quæ virum non cognorat?

Virgo tuum prona, quæ concipis aure parentem:
Imprægnet nati, me precor aura tui.

Columba Spiritus S. Quamquam, si hic lubet speculari paulo subtilius, dicere possis, Arcam esse Mariam vere Nauem cælestis Institoris de longe portantẽ panẽ mundi reformatoris receptaculũ: Columbam, Spiritum sanctũ: Oliuæ ramum, Verbum Dei, ꝙ ad Mariam, vt Pacis, & recõciliationis Symbolum detulerit. Certe, Tertullianus, columbam, pacis nunciam, facit typum Spiritus sancti, eamq; serpen-

penti, qui Diaboli, & hæresiũ est typus; apponit *Abscondat, inquit, se serpens, quantum potest, totamque prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat: alte habitet, in cæca detrudatur, per amfractus seriem suam euoluat, tortuosus procedat, nec semel totus, lucifuga bestia. Nostræ Columbæ domus simplex etiam in editis semper, & apertis, & ad lucem amat figuram Spiritus sancti Orientem Christi figuram. Nihil veritas erubescit, nisi solummodo abscondi.* Tertull. contra Valentian.

Idem agens de Baptismo. *Quemadmodum post aquas diluuij, quibus iniquitas antiqua purgata est post baptismum, vt ita dixerim, mundi, pacem Cælestis iræ præco Columba terris ad-* Tertull. lib. de Bapt. c. 8.

nunciauit, demissa ex Arca, & cum olea reuersa. Quod signum apud nationes etiam paci prætenditur, eadem dispositione Spiritalis effectus terræ: id est, carni nostræ emergenti de lauacro post vetera delicta. Columba S. Spiritus aduolat, pacē Dei ferens emissa de cœlis, vbi Ecclesia est Arca figurata.

Oliua Pacis Symbolum. Suggerit commode Tertullianus, Oliuam Pacis habere significationem, quo nihil est certius. Pacem idcirco poscētes populorum legati oleæ ramum, aut præferebant manu, aut ea coronabantur. Vt non male dixerit pius contemplator: Columbam fuisse Dominum IESVM, cum è Passionis diluuio emergens, à mortis faucibus, atque ex ipso Tartaro rediuiuus immorta-

Benedict. Fernand. Genes. 8. Sect. 5.

lis, &

liis, & gloriosus, in cænaculum domesticũ, vbi erant Discipuli congregati, clausis ianuis intrauit, dicens, *Pax vobis, Pax vobis.* En columbam? en oliuam virẽtem in ore! Christus n. vt Apostolus ꝓnunciat, pacificauit ꝑ sanguinẽ, siue quę in terris siue quæ in cælis sunt. Quoniam, vt exponit D. Chryſ. tota Redẽptoris in carne dispensatio mundi est reconciliatio. Quæ cũ hodierno die in Virginis tã quã hominum cum Deo recõciliatricis, aluo, initiũ cæperit, an non merito, vt illius Symbolum, oliuam deprædicamus? Col. 1. Hom. 1.

At qualem oliuam? Quæ diuitiis animosa suis, alieni non est indiga. Et quo-nam egeret alieno, quæ audit, *Gratia plena: Dominus tecũ?* Oliua Pygmalionis

Oliua Pygmalionis aurea. Nic. Caus. lib. 9. 4.

nis apud Gaditanos, ex auro artificiosissime fuit elaborata: fructus vero ex smaragdo lapide quam opulentissimos habuit auctor Philostratus lib. V.

Deipara Oliua aurea.

Oliua aurea, virgo est, vt in symbolicis docet vir eruditus. Oliua vera fructifera in domo Dei. Fructus smaragdini, non tantum dona, ac virtutes quib. ipsa supra mortalitatem humanam enituit, vt ipse existimat, sed multo magis, quam hodie, velut baccam, in ventre conclusit, haud multo post, vt maturum saluberrimumque fructum editura, dum cantabitur,

Salue sancta Parens enixa puerpera Regem;

D. Hier. Serm. de Assump.

Egregie Hieron. *Præcellit cunctos, supereminet vniuersis* MARIA

RIA: *cunctis tanto venerabilior, quanto gloriosior & quanto virtute Altissimi extollitur ad sublimia, tāto clarior resultat in gloria*. Plena siquidem gratia, plena Deo (Hic fructus pcipuus oliuæ nostræ) plena virtutib. (hæ smaragdi sunt) non pōt non possidere plene gloriam claritatis æternæ, quam plenissime accepit, vt Mater fieret Saluatoris.

Sed hic mihi aliudquippiā lōge diuersū menti obuersatur, mysterio, q in Annunciationis sacra die peractū est, declarando, opportunissimum. Ferunt quercum, durissimum robur, & pungi findique difficillimum, si inseras in oleæ scrobē, tenerescere, imo & marcescere, vt puncturis, incisioniq; sit accōmodatū. Quæ querc⁹, q robur, quis adamas duritie, & *Quercus in oleæ scrobe.*

vt Theologis vſitata vocula, rẽ exploratu difficilem promam impaſſibilitate, cum Deo eſt cõparandus? De hoc emollien do agebatur in SS. Trinitatis cõſiſtorio, vt pati poſſet; quod ſi non poſſet, nos non redimeret, qui erat impaſſibilis: conſilio habito, ſancitũ eſt, vt in Oleæ ſcrobẽ virginis intemeratę aluum immitteretur coniungendus alius generis ſurculo, ſicq; ad punctiones, fodicationeſq; eſſet peridoneus.

Deus homo patitur. Ita factũ. In ea ſcrobe Deus, quaſi vnus è nobis, tantam traxit mollitiem humanitati iunctus, vt nihil ad paſſibilitatem deſiderari poſſet. Patietur igitur poſt paucos dies DEVS, quia hodierno die verbi diuini robur in oleæ ſcrobe molleſcit.

ſcit. Patietur, non quidem in Diuina natura, ne quis erret, ſed in humana, quæ in Verbi perſona ſubſiſtebat, velut ramus, oliuæ trunco inſertus, eratq; paſſioni obnoxia. Deteſtantur Orthodoxi errorē Iuliani Halicarnaſſei, & Iuſtiniani Imperatoris, qui carnē Chriſti, vt Diuinitatem, impaſſibilem eſſe contendebant. Nimirum, concipere non poterant quomodo paſſa caro, non paſſa eſſet Diuinitas, quæ nexu tā indiſſolubili erat carni colligata. Id Theologi ſubtilius diſputant. Ad popularē intellectum ſunt binæ ſimilitudines Eliæ Cretenſis. Vna Purpuræ in officina Textoris: altera Arboris, in propatulo ſolem excipientis. *El. Cret. ad orat. Naz.*

Fuit

Venter Mariæ textrina.

Fuit venter *Matris intemeratæ*, velut Textrina artificiosissimi opificis, diuini spirit⁹. In eo cælestis textor Purpurã hodie texuit, non ex cocco & murice & liciis: nam his omnib. respondebat vnica illa subsistentia virtutis infinitæ. Ad eandẽ telam cõficiendam adhibebatur, Natura diuina velut ostrũ, Humana vt cocus. Iam nemo est tam imperitus illius artis, qui nesciat, Lanam quidem in texturam conuerti, non colorem purpuræ. Permansit itaq; natura vtraque inuariata, Diuina impassibilis, Humana passibilis, sed ita vt DEVS, vtrumq; sicut Lana colorem quadam tenus imbiberet, colore texturam non ingrediente, nec ob id mutato.

Plan-

Deipara tellus Christus, Arbor.

Plantulam autem cogita DEI Filium in *Virginis intemeratæ* aluo, tanquam terra maxime frugifera ab Arboratore cælesti locatam, & ad sidera caput attollentem: Arboris huius truncum, ramosque omnes Diuinitas, velut solaris radius non exterius tantum illustrat, sed internè quoque peruadit ac penetrat. Accurrent in Passione iurati hostes cælestis Plantulæ, quisque pro virili malignitate, & rabie incitatus securim apponẽt, & succidere conabuntur: & Arborem quidem sauciabunt, radiũ vulnerare non poterunt, etiãsi ille ab Arbore nõ separet. Manebit illæsa Diuinitas. Patietur Dei Filius humanitate, quã

uis

uis hac Diuinitati hypostatice vnita.

Virginis gnome virũ nõ cognosco.

Vtcunq; arcanum hoc euoluunt istæ cõparatiunculæ: sed multo clarius, quod in Nazarethico conclaui, Annunciationis die peractum est, repræsentatur per oliuam. Quid in virgine cęlestem nuncium, de cõcipiendo Dei Filium, attendẽte maxime miraris? Haud dubie virginitatis seruandæ pertinacissimum propositum. Obstinauerat intemerata Virgo, vel Dei Mater non esse, vel illęsa virginitate concipere. Hoc illud mihi significat constantissimæ voluntatis decretum: *virum non cognosco.* Nec dubitat, quin idem vellet Deus cuius voluntatem suam fecerat.

Oliua virginitatis amans.

Intueor hic oliuam fructiferam

rã in domo Dei, cui si ex Theologiæ symbolicæ præceptis adscribenda esset gnome, fingi non posset, & appingi conueniẽtior, quã breuicula illa virginis; VIRVM NON COGNOSCO. virginitatẽ amo, castitatẽ colo impuritatẽ abominor, impudicos abesse iubeo: sterilitatem ꝓbo magis, quã vt fæcunditatis ergo fæditate me contaminem. Hæc diceret oliua, si fari posset: tanta est illi virginitatis cura, ꝗ lingua nequit, naturæ quodã genio, factis eloquitur.

Si rei rusticę scriptores cõsulas; inuenies Græcorum fuisse pręceptionem, vt cum plantatur, & legitur olea mundi pueri ac virgines adhibeantur; Plãtam n. hanc puritate ac pudicitia augescere obseruatum est. *Constantini Geopon. lib. 8.*

Refert

Refert etiã Rutilius Taurus Ciliciæ populos Analarbæos optimam regionis suæ oliuitatem acceptam ferre virgũcularum castitati, quæ soli illic oleam legebant: nec consultum fuisse, vt ab aliis legeretur.

Addit Florentin. lib. de re rustica: Oleam collectores, non nisi puros admittere. Fuisse quoq; legem, vt qui ad oliuationem accedebant, iurarent se casto ex thoro exsurgere. Si non fallebant, erat in sequentẽ annum vberior oleæ prouentus. An idcirco fortasse Palladi, quam DEAM deinde innuptam fingebant Poetæ oleam consecrarat antiquitas? An nõ igitur bene exprimit oliua illã, quæ hodierno die adeo vel im puri-

puritatis vmbram eſt auerſata, vt Maternitatis diuinæ titulum potius, quam intemeratæ virginitatis recuſaret? Vere, vere, idcirco Mater intemerata O.P.N.

Verum olea non min⁹ præclarum eſt victoriæ quam caſtimoniæ ſymbolum. Athenæ victores ramis oleæ implexis coronant, inquit Plinius. Apud Pindarum Hercules ex oleaſtro lucum ſerit, & victorib. dedicat. Apud Arrianum libr. V. de geſtis Alexandri ſomniorum Interpres ex oleo erumpente triumphum coniectat, nec fefellit euentus. Cum n. Magnus Macedo Sogdianos in ordinem vellet redigere, & apud Orũ caſtra poſuiſſet, non pro-

Olea Symbolum victoriæ. Plin. lib. 15. c. 14.

ꝓcul ab eius tabernaculo fons olei ſcaturiit: miranti Imperatori vates Ariſtander reſpondit, fonte illo laborem quidem magnum, ſed ſudoris amplam mercedē victoriā repromitti.

Vel ob hanc ſolum cauſam potuiſſet Gabriel, vt columba è cælo emiſſa, ad victorioſiſſimam heroinā Mariam ramuſculis oleæ implexis coronat⁹, & oliuæ ramum ꝑtendens aduolare. Nā ad illam ſalutandā mittebatur, quæ inuictiſſimi Paleſtritę, Chriſti Mater, ab eo ipſo die calcato tartarei Draconis capite, de potentiſſimo, ac virulentiſſimo generis humani aduerſario triumphare, incipiebat, iam tūc de ſuperato, conculcato, contrito trophæū ſplendidiſſimū erigens. Quod olim

olim quidem, ex Olea constituebant antiqui.

An hic omittendum, quod habet in oncirocriticis Artemidorus? qui somniorum coniecturas diligenter ex obseruationib. variorum euolues, scribit: OLEAM in somnis visam, significare mulierem, certamen Principatum, libertatem: si vero florens appareat, vel maturo, belloq; turgens fructu, tunc copiam rerum omnium polliceri.

Vidit in Nazarethico cõclaui, vt primum aduenit Gabriel virginem: reliquit, postquam illam salutauit Mulierem, non vacuam, sed maturo belloque turgentem fructu: *Benedictus fructus ventris tui.* Atq; eo ipso fuit initium certaminis, Chri-

ſti cum Lucifero: Principatus meriti à Patre æterno: & libertatis humanæ. O quantum in omne æuum, donorum gratiarumq; prouentum ſpondet turgida hac die baccis Oliua.

Planta ad imitationẽ Dominæ ex timulant.

Itaque, vt facile, ex paucu-lis, quæ dixi, animaduertitis, aptiſſima ad Virginem in Annunciatione, *Intemeratam*, & fæcundã repræſentandã, ex omnib. Horti Mariani arbuſculis, eſt OLIVA. Sed hoc eſt ſingulare in eiuſdem loci plantulis, quod, vt ſunt Icones, quæ honori Dominæ N. deſeruiũt, virtutes illius, ac decora exprimendo: ita ſunt imagines, quæ ad inſtitutionem clientulorum Marianorum, faciunt, imitationem Heræ N. proponendo & ad illam ſui contem-

pla-

platione, tanquam efficaciſſimis monitis inſtigando.

Audiſti OLEAM fuiſſe Matrem tuam, cum Deo vacans nuncium accepit de partu, quo Chriſtꝰ prodiit, Chriſtiani omnes ſunt renati. Quid tuarum eſt partium? Imprimis conari, vt ſis oleæ filius, quia vis eſſe MARIÆ. At oleaſter es toto cælo, vel potius totis inferis à Matris moribus diſſidens, labes familię Marianę, HORTI Mariani fungus, ſtirpis Marianæ degener ſurculus, propago ſpuria, nothum germen. Degenerẽ ab oliua genium animuſque manifeſtat, in religionis ſeu pietatis officiis ſumma ariditas: in adeundis templis deſidia: in frequentandis ſacramẽtis ſupina negligentia; in vir-

tutum cultu ieiunitas supra quadragesimalem, cum propria tamen dos oliuæ sit pinguedo, quæ in Te nulla, vel tam exigua, aut tot in oratione, lectione, meditatione sacra communione distractionibus vanitatib. nugamentis externis, internisq; diuagationibus corrupta, vt amurca dici possit mera oleæ sanies.

Oleaster fit Oliua. Vt ex oleastro siluestri & ex succa, fias oliua, Matri tuæ similis domestica & pinguis, ex spurio legitimus filius: ex naturali, notaq;, legalis, & probata proles, quid porro est necessarium? Quod docēt rei arboraria periti, vt inseraris, vt de te *Insitione.* dicere possit Paulus, hortensi *Rom. 11. c. 17.* similitudine: *Tu cum oleaster esses insertus es Oleæ, & socius radicis,*

cis, & pinguedinis Oliuæ factus es. Tibi opus eſt inſeri in bonam illam oliuam, cuius Te filium profiteris, quippe ſodalem. Eris autem ramus illius trunci: membrum illius corporis: germen illius plantulæ: ſi vitam gratiæ, quæ illius eſt propria arboris, cui hodie dictum, *Gratia plena*, nũquam per lethiferum vllum crimen amiſeris: ſi illius tanquam radicis, humorẽ ſalutiferum ac vitalem interceſſionis, ac meritorum attraxeris, eoque contra inſidiatricis carnis Dæmonis ac mundi tentamenta vitam erumpere ſolita, te animaueris, armaueris.

Oliua es, mi Adoleſcens Puritate delectatur oliua, pudicos admittit, deteſtatur impuros. Proprium agnoſce ſymbolum. *Oliua puritatis Symbolum.*

 lum.

lum. Eius tu es frater, cuius Mater est virgo, cuius Pater fœminam nescit, & qui ipse est Virgo virginum, & totius casti consilii seminator, qui pascit inter lilia, septus choreis virginum. An nō æquum est, vt puritatem fœditati præferas: castimoniam contaminationi: rosas luto: oliuetum, oleto? Hoc scias: Oleam: cuius Te surculum profiteris, impuritatis, vel vestigium exhorrescere: auersari impudicos, nec maternum beneuolētiæ Marianæ oleum in illos transfundere, qui voluptatib. lutulenti sordidantur.

Oliua pacis insigne. ¶ Oliua es, virginis cultor; aut esse deberes. Sodalis boni recognosce imaginem. Oliua pacis est effigies, & insigne gentilitium,

tium, Pacificorũ. Si iracundia, & furore familiam turbas si quietem reip. contentione inuertis, si in domesticos Voce, manu, pede perpetuo incurris si nec tuos, nec aliorum adfectus moderatione, & mansuetudine componis, degenerasti Rhamnus es, non oliua, oleastri surculus siluescentis, non oleæ mitis, & tranquillantis.

Oliuam te vult esse, *Mater Intemerata*, quippe filium oleę, oliuam commiseratione, & in alios liberalitate. Huius oleum est Symbolum, vt Hilarius, Ambrosius, Chrysostomus tradiderunt. Indigere vides pauperem, & pene fame emori tu splendide epulari solitus, ne quidem micam transmittis; imo indignaris, si La[illegible]rus

Oliua commiserationis Index. Hil. Cant. 5. V. in Matt. Ambr. ps. 118. serm. 14. Chrys. Hom. 33. in Ep. ad Heb.

rus ianuam pulſet: ſi paupercu li ſtudioſi, Chriſti inopis ſodales, cantu miſericordiam prouocent. Petitur aliquid ad cultum Dei promouendum, pietatem incitandam, ſupplicationem adornandam, pompã Chriſti paſſi repræſentandam: Tu, licet abundes omnib. egeſtatem cauſaris, & fortaſſe, cũ Iſcariote, ſarcaſtice ſubſannas: *Ad quid perditio hæc?* Caue ne tibi veſtis Iſcariotica, ſi non in hac, in altera ſaltem vita gulã frangat, & euomas, quibus te confarcinaſti, & quæ tam propudioſa tenacitate, Euclionis inſtar, reſeruas & accumulas Cuius erunt? Qui talis, ſed neminem eius genii hic adeſſe plane mihi perſuadeo, non eſt olea ſed Paliurus.

Cogi-

Cogita quàm prope prodi-
ge in Te benignitatis oleum
profuderit, nec etiamnum de-
ſinat Miſericordiæ Mater, cæ-
leſtis oliua: quam ſi prouocare
vis ad nunquam interrumpen
dam ſcaturitionem, & Tu o-
leum ſudã, ſi hoc nimiũ videť,
oleum, ſtilla: nã & montes ſtil-
lant dulcedinem, & colles flu-
unt lac & mel. Acute quidam
& eleganter: Magnes miſeri-
cordiæ, eſt miſeratio. Beatos
Chriſtus miſericordes dixit,
quia miſericordiam conſequẽ
tur. Miſericordiam vis conſe-
qui Chriſtiane? aude ſis nega-
re; Miſericordiæ opera, vt pin-
guedinem oleagineã emitte.
Oleum poſcis, ab oliua Maria
edico certò certius, non conſe
queris guttam, niſi Tu vel gut-

tatim ſaltem & nonne hoc parum eſt? tenacitatem tuam, vt ieiunam baccam, ſtillare permiſeris. In foro cæleſti oleo oleum venditur.

Oleum Medicinæ commodum.

Oliuam te exhibe ad Matris imitationem, ſodalis; oleũ ex oliua morbis perſanandis curãdis vulneribus, mitigandis doloribus, pdeſt plurimũ. Idcirco Samaritanꝰ oleum ac vinũ plagis vulnerati Euangelici infundit. *Infirmatur quis in vobis*, inquit Iacob. Apoſtolus; *inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo.* Sic Marci 9. *Vngebant oleo multos ægros, & ſanabantur.* Clamat Iſaias: *Vulnus & Liuor, & plaga tumens, non eſt circũligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.*

Iacob V. — *Iſa. 1.*

Mundum ego concipere ſoleo

leo, tanquam vniuersale quoddam Nosocomium, cõmune valetudinarium, publicũ ægrorum receptaculum, in quo, quot sunt status, Ecclesiasticus: politicus: coniugatorũ: liberorum: seruorum: dominorũ: & secundum alias differẽtias, plurimi alii, tot dicere possis esse priuatas infirmorũ dom⁹. An non ægrotat in multis stat⁹ Ecclesiasticus? *Domine: ecce quem amat Lazar⁹ infirmatur*: & vtinã infirmitas hæc non sit ad mortẽ. vtinam de quibusdam non diceret, *Domine iã fætet: quadriduanus est n.* Absit à Marthæ placidissimæ matronæ de fratre loquentis verbis acerbitas, & inuidia. Mundus Nocomiũ.

Non sunt vlli tales, Deo laus ex iis, qui se Matris interne-

ratæ ſodales hic profitentur, At fratres fortaſſe habemus qui periculoſe decumbunt. Eia ſodes, ſi quem talem agnoſcis, oleam te præſta. Clamat ad te magnus ille ægrotus: *Miſerere mei, ſecundum magnam miſericordiam tuam.* Quid poſtulat? Indiget vnctione: expectat oleum oliuarũ. Verba fruſtra profundo Pater, ſat ſcio, fili, nec ad id te adigo: non ſanatur verbis infirmus: vt concionatorem agas non præſcribo, verba ſunt folia: olea indiget tuus ille vicinus.

Eccleſiaſtici probi exemplum.

Oleũ ſunt opera. videat te ſãctimoniæ ſtatus tui [illegible]onſentane[illegible]uiuentem: non caute, tant[illegible] verum etiam, [illegible]aſte, temperatum, modeſtum, Chriſtiane humilem; domui tuæ be-

ne

ne præſidentem: non turbulentum: non iracundum, non clamoſum: non percuſſorem, abſit tam grande nefas à Clerico, non turpis lucri cupidum, non pecuniæ magis, quam pietatis auidum: nunquam ebrium: nunquam verbis impurum, multo minus nutu, nictu, geſtu ſalacem, procul non tantum à malo, ſed & ſuſpicione mali. *Eijce ancillam hanc & filium eius, non enim erit hæres filius ancillæ, cum filio Iſaac*, *Dure accepit hoc Abraham*, obſequutus eſt tamen. *Gen. 21. 10.*

Quid [illegible]raris? Dicent me hypocritam, Pater, exſib[illegible]bunt, vt ſanctulum, oſtend[illegible] monſtrabunt me digito: v[illegible] *Excuſatio res Pueriles.*

bor per ludibrium delator, cũ culus, morio, fors & dæmoniacus, & quod maxime metuendum, estque postremissimum conuitiorum, ac impedimentũ ad maiora hoc seculo summum, dicar IESVITA, vel societatis pullus:

Virg. lib. 9. Æneid.

O vere Phrygiæ! neque enim Phryges, Ite per alta
Dindyma, vbi assuetis biforem dat tibia cantum
Tympana vos, buxusq; vocat.
—— Sinite arma viris & cedite ferro.

Quæso vos
Ludite par, impar, equitate in arundine longa.
Puerine etiam num sumus, qui togam talarem circumgestamus? Viri salutari volumus, pue-

puerilitatem nondum posuimus, qui barbam, virilitatis insigne, excolimus, laruas metuimus, vt galeati lepores, qui iubas, vt generosissimi Leonum ostentamus? Quæ hæc infantilis illusio?

Matrem nostram, vnde excisi sumus, intueamur: OLIVA est: OLEVM exsudat affatim, quo in Pugiles vngamur. Oleum pro Palæstra.

Cætera populea velatur fronde iuuentus
Nudatosq; humeros oleo perfusa nitescit. Virg. lib. 5.

Virtutibus illius, tanquam oleo fortitudinis, & imitatione, vt vnguine salutis [illegible] damur, & spondeo, [illegible] ctatores euasuros inuict[illegible]

H

Hoc à nobis expetit, vnctuosissimæ suæ pinguedinis nos optaret esse participes: & eiusdem secum nominis, Oliuas. Cur vel cælestibus inuidendam Mentibus conditionem, nos terræ tubera pudendo contumacis animi vitio refutamus?

At fuerimus hactenus Oleastri immites, aridi, lasciui, degeneres, post hac mutata obstinationis duritie, in morum facilitatem: iracundiæ acrimonia, in suauitatem beneuolentiæ: sordida tenacitate, in liberalitatem: superbia in [illegible] [illegible]eritate in c[illegible]ationis adfectum: [illegible]sitate, in sobrietatem; [illegible]line in castimoniam, vt [illegible]s insitione sacra, & inter-

tercessione efficaci Oliuæ Marianæ surculi, Te rogamus, Te obsecramus, O MATER in Annunciatione Intemerata. O. P. N.

D.
S. *I.*
H. E. G.
A.

San
dei
V. Maria